DE

CHARONTE ETRUSCO.

COMMENTATIO ANTIQUARIA.

SCRIPSIT

IULIUS ATHANASIUS AMBROSCH

PHIL. DOCTOR ANTIQQ. LITT. IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI PROFESSOR P. E.

INSTITUTI ARCHAEOLOGICI ROMANI SODALIS ORDINARIUS.

ACCEDUNT VASORUM FICTILIUM QUAE IN MUSEO REGIO BEROLINENSI ASSERVANTUR PICTURAE ADHUC INEDITAE TRES LAPIDIBUS INSCRIPTAE.

DE

CHARONTE ETRUSCO

COMMENTATIO ANTIQUARIA.

SCRIPSIT

IULIUS ATHANASIUS AMBROSCH

PHIL. DOCTOR ANTIQQ. LITT. IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI PROFESSOR P. E.

INSTITUTI ARCHAEOLOGICI ROMANI SODALIS ORDINARIUS.

ACCEDUNT VASORUM FICTILIUM QUAE IN MUSEO REGIO BEROLINENSI ASSERVANTUR PICTURAE ADHUC INEDITAE TRES LAPIDIBUS INSCRIPTAE.

VRATISLAVIAE.

APUD G. P. ADERHOLZ.

MDCCCXXXVII.

INSTITUTI

ARCHAEOLOGICI ROMANI

RECTORIBUS ET SODALIBUS

COMMENTATIONEM

DE CHARONTE ETRUSCO

AUCTOR

D. D.

INDEX CAPITUM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 1. l. 14. pro regianum leg. religionum.
— 4. annot. 18. add. Inghir. Ser. 1, tab. XXXV.
— 9. l. 2. pro demissa leg. dimissa.
— 9. l. 26. pro eluceat leg. elucet.
— 10. l. 15. pro accensendi leg. accensendae.
— 13. annot. 110. l. 4. pro in Orca leg. in Orcum.
— 15. annot. 125. l. 5. pro l. l. 228. leg. l. l. 288.
— 15. annot. 125. l. 6. add. Stat. Theb. IV, v. 534.
— 15. annot. 127. add. Stat. Theb. IV, v. 535.
— 16. annot. 130. l. 6. pro τύχονται leg. τρύχονται.
— 16. annot. 132. l. 7. pro ὄψει δὲ leg. ὄψει τε
— 16. annot. 132. l. 17. pro Ἄδου leg. Ἅιδου.
— 17. annot. 144. l. 15. pro inter lu e leg. inter lunae.
— 18. annot. 144. l. 22. pro videatur leg. videtur.
— 20. l. 22. pro Telemonia leg. Telamonio.
— 20. annot. 164. l. 16. pro capitivos leg. captivos.
— 20. annot. 164. l. 30. pro pereundae leg. periturae.
— 20. ad annot. 264. Praeterea observa, nomina, quae quondam huic monumento inscripta legebantur, non integra hodie in eo comparere. Nam quum ante annos quinque Romae vas Beugnatianum examinarem, inveni in eo nonnullas elementorum reliquias, quae postea et ipsae videntur evanuisse. Haec autem elementa locum habebant infra nomen Penthesileae atque disposita erant ad hunc modum

AJIƧATNƎП
⅃A

P. 22. annot. 172. l. 56. pro MCCXXVIII leg. DCCXXVIII.
— 27. annot. 194. l. 4. pro Ἄδης leg. Ἅιδης.
— 28. annot. 198. l. 42. pro fuvialia leg. furialia.
— 29. l. 10. pro circumcribit leg. circumscribit.
— 29. annot. 205. l. 6. pro Eustath. ad Il. 10. v. 502 leg. ad Od. X, v. 502, p. 1666.
— 35. l. 22. pro Ulissie leg. Ulyseis.
— 39. annot. 246. l. 5. pro αἰτιὰ leg. αἰτία.
— 41. annot. 257. l. 4. pro βάρις leg. βᾶρις.
— 41. annot. 257. l. 5. pro ἐπιμελεῖαν l. ἐπιμέλειαν.
— 47. annot. 272 b. l. 1. pro τα δὲ leg. τὰ δὲ.
— 48. l. 16. pro Crebro Orcum eiusdem autem similes leg. Crebro autem Orcum eiusque similes.
— 55. annot. 307. l. 1. pro χαρώνειος leg. χαρώνειος.
— 55. l. 20. pro ferrariis sint leg. ferrariis sunt.
— 64. annot. 363. l. 1. pro diameter leg. diametrus.

Vratislaviae, ex officina M. Friedlaenderi.

CAPUT PRIMUM.

DE CHARONTIS ETRUSCI FORMA ET MUNERE.

Etruriae agri quam referti sint monumentis artium antiquarum, quantoque opere numerus eorum per hos decem annos, tot sepulchris effossis, adauctus sit atque in dies cumuletur, doctis Germaniae viris quum operibus Italorum eruditorum innotuit, tum fortasse etiam magis eorum inclaruit opera, qui inter Britannos, Francogallos, Germanos, eximie de re antiquaria meriti, magnam monumentorum recens erutorum partem, editis vel accuratis simulacris vel doctis commentationibus vel utrisque, per hoc decennium publici iuris fecerunt. Licet enim iam pridem monumenta Etrusca ab Etruscis potissimum antiquariis magno cum studio et colligi et illustrari sint coepta, tamen hoc demum seculo et novissima quidem aetate est factum, ut non solum agri Etrusci, alias raro peregrinantibus aditi, ab indigenis peregrinisque frequentarentur ac perlustrarentur, verum etiam ipsa monumenta maiori cura tam effoderentur quam conservarentur et probe delineata, exteris quoque antiquariis examinanda permitterentur. Itaque Etruria haud dubie iis est hodie accensenda terris, quae, tot vestigiis temporum praeteritorum relictis, morum atque artium regionumque antiquarum studiosos inter omnes maxime alliciant, animoque a consuetudine temporum recentiorum sevocato, tamquam genuinam quandam antiquitatis imaginem retegant. Urbium antiquissimarum arces murique, innumerabilia sepulcra, eruta ex iis monumenta omnis generis: urnae et ossaria anaglyphis exornata, vasa picta, scarabaei, specula quae vocant mystica, et ipsa plerumque incisis ornata figuris, insignes illae picturae atque ornamenta architectonica, quibus interna sepulcrorum facies condecorata est: haec igitur taliaque sunt, quae antiquario peregrinanti inexhaustam contemplandi examinandique materiem praebent. Nec amplius satis est Florentiae vel Romae moranti, thesauris antiquitatum placide perfrui, quos cura monumentorum vel publica vel privata ibi coacervavit, sed provinciae sunt petendae, ruinae oppidorum, remotae a viarum publicarum meatu, adeundae, sepulcra illa perreptanda, unde natura atque ingenium antiquitatis Etruscae, per tot secula morte sopitum, tanquam viva vitae imago suscitetur ac reveletur.

Ad ea intenti quum, Roma profecti, plus semel antiqua Etruriae oppida agrosque perlustraremus, haud facile ulla res ita nos in se convertit, quam re-

ceptacula illa loculique, in quibus Etrusci veteres mortuorum vel cineres vel integra condidere cadavera. Magnum enim emolumentum rei antiquariae illa sepulcra afferunt, sive picturas et inscriptiones sive arma ceteraque utensilia sive ossaria ipsa atque urnas contemplaris. Magni sane interest, ut eius populi, cuius mores, religiones, instituta vitae quotidianae ex monumentis literatis haudquaquam ea, qua par est, et copia et subtilitate illustrari queant, tot certissima ingenii vitaeque testimonia cognoscantur, quibus inter se rite collatis vix potest fieri, quin Etruscae antiquitati lux aliqua afferatur, quam, spretis monumentis figuratis, aliunde haud facile petieris. Accedit, quod eadem illa Etruscorum sepulcra non solum Etruscae indolis vestigia prae se ferunt, verum etiam plena sunt monumentis originis vere Graecae. Quae quanti sint aestimanda, quantumque increscenti studio Graecarum et artium et literarum iam attulerint atque in dies afferant, non est quod hic exponam, quum opera eorum, qui per hos annos scriptis suis tum illa monumenta, tum sua ipsorum nomina nobilitaverunt, hodie in omnium sint manibus. Praeterea autem tertium quoddam monumentorum genus in iisdem comparet sepulcretis, in quo te nec illa Graecarum artium venustas oblectet, nec obscura Etruscarum imaginum ratio, quamvis cupidum divinandi, deterreat, sed potius mira quaedam consortio ingenii Graeci indolisque Etruscae conspiciatur, ita ut notas tibi mythologiae Graecae formas, sub his involucris tanquam in nova mutatas corpora, primo adspectu interdum vix agnoscas. Cuiusmodi monumenta animum intuentis quodammodo distrahunt, atque in diversas abducunt partes. Etenim dum manifestus fabularum Graecarum color atque adeo apposita interdum figuris nomina certam nobis spem excitant, argumenta anaglyphorum tabularumve penitus cognoscendi interpretandique, alia atque multa, quae artifices Etrusci illis addiderunt, nos in omnis alia abripiunt, ita ut, quamvis detecta argumentorum summa, tamen quid sibi velint singularum figurarum vel habitus vel gestus vel ornamenta, in obscuro lateat. Nihilo minus ea ipsa monumenta semper nobis magni esse momenti videbantur. Permittunt enim veluti transitum e notioribus Graecae mythologiae regionibus in obscuras convalles opinionum Etruscarum; et quemadmodum in universum artificialis operum Etruscorum ratio singulare quoddam huiusque populi proprium ingenium prae se fert, ita coniunctae illae in monumentis religiones, fabulae, mores utriusque populi, eas nobis videntur aetates revocare, quibus Italia Graecis literis artibusque, Graecia Italis armis atque legibus succubuit.

Iam in numero eiusmodi monumentorum ex parte saltem putavi ea esse collocanda, quae huius commentationis materiem praebuerunt, id est, ea, in quibus mira Charontis Etrusci figura conspicitur. Nam ita daemonem appellare licebit, cui id nomen ab ipsis Etruscis fuisse inditum ex inscriptionibus vasis fictilis et operis anaglyphi satis constet. Priusquam autem in Charontem inquiramus, operae pretium erit, paucis praefari: primum quidem, cuius sint generis monumentorum singula opera, quae daemonis personam exhibent; deinde, quibus et quot modis artifices formam eiusdem effinxerint, sive solam per se sive coniunctam cum aliis figuris consideraveris.

Monumentorum, quorum nobis erit ratio, maxima pars opera sunt anaglypha, quibus, quod nemo ignorat, Etrusci antiqui urnarum et sarcophagorum vel frontes vel partes transversas condecoraverunt. Potissimum autem huc pertinent ea, quae in sepulcre-

tis Volaterranis sunt eruta [1]). Nam in iis Charontis imago, tam solitaria quam pluribus consociata figuris, satis crebro comparet. Rarius eadem in monumentis Clusinis observatur [2]); licet numerus urnarum Clusinarum, qui Gorii aetate exiguus [3]) fuit, hodie mirum in modum adauctus sit [4]). Neque in anaglyphis ossariorum, quae per ceteras Etruriae regiones pene oppidatim sunt effossa, ulla Charontis figura, quantum equidem sciam, adhuc innotuit. Quapropter, quum inter tot Etruscorum anaglypha, exceptis Volaterranis nonnullisque Clusinis, perpauca sane vel nulla simulacro Charontis insignita exstent, mirari me subit, quod in Gallia Narbonensi, ad Avenionem, reperta est ara parva, in cuius fronte pusilli cuiusdam viri species apparet, quam Charonti nostro haud dissimilem esse, recte iudicavit Inghiramius [5]).

Praeter anaglypha nonnullae picturae similis argumenti servatae sunt partim in vasis fictilibus partim in parietibus sepulcrorum; rarae quidem illae, et magna dignae consideratione, sive artem sive argumenta respicis. Vasorum enim pictorum, quae Charontis Etrusci imaginem exhibeant, in universum non amplius quattuor hodie innotuerunt [6]), quorum duo, gratias agamus Regi Clementissimo, iam in thesauris musei Berolinensis asservantur [7]). Tertium vas, quod Nobilissimus Baro Beugnotios Romae nobis examinandum permisit, nunc quidem Parisiis in eiusdem privato antiquitatum theatro est conspicuum [8]). Quartum, quod alteri vasi Berolinensi prorsus est simile, Romae in thesauro Instituti Romani Archaeologici exstat [9]). Eruta autem haec quoque sunt monumenta, sicuti tot millia vasorum pictorum, in sepulcretis Volcentinis finitimisque agris [10]). Quod autem ad picturas sepulcrales pertinet, una et ea quidem tam arte quam argu-

1) Huc pertinent anaglypha in frontibus urnarum sculpta ap. Gor. Mus. Etr. tabb. LXXXIV, n. 2. (Dempst. Etr. reg. tab. XLIV); CLVII, n. 3; CLVIII, n. 1. Cf. Maff. Mus. Veron. tab. III, n. 2. Uhden. in Comment. acad. Berol. a. 1818 – 19, p. 10. Ap. Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tabb. VII (O. Muell. et Oesterl. Mon. art. antiq. fasc. V, tab. LXIII, n. 317); VIII (Micál. Mon. tab. CIV, n. 1. ed. sec.); XXVII; XXVIII; XXXVIII. Cf. Uhden. l. l. p. 9, sq.

Ap. Micál. l. l. tab. CIX (Inghir. l. l. Ser. VI, tab. Q 2. Raoul-Rochett. Mon. ined. tab. XXIX, n. 1.) Cf. Uhden. Comment. acad. Berol. a. 1816 – 17, p. 44, sq.

His monumentis adde transversae urnarum partes ap. Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XVII; XXIX; XXXII (cf. Uhden. l. l. a. 1818–19, p. 5); XXXV. Micál. l. l. tab. CIV, n. 3.

2) Mus. Clus. tabb. XXVII; XXVIII, n. 1 (Micál. l. l. tab. LIX, n. 5. 7.); CXCII. Cf. infra annot. 67.

3) Gor. Mus. Etr. tom. I, praef. p. XIX.

4) Monumenta Clusina temporibus recentioribus eruta nunc edita sunt in opere, cuius est titulus: Etrusco Museo Chiusino dai suoi possessori pubblicato con aggiunta di alcuni ragionamenti del prof. Domenico Valeriani e con brevi esposizioni del cav. Francesco Inghirami. Florentiae et Faesulae, a. 1830 – 34. Cf. Ephem. I. A. a. 1830, p. 37. 273. A. 1831, p. 52. 142.

5) Caylus. Collect. antiquit. Tom. VII, tab. LXXIII, n. IV. p. 265. Inghir. Mon. Etr. Ser. I, p. 64.

6) Vid. Gerhard. Ephem. I. A. a. 1834, p. 12. Bunsen. Annal. I. A. p. 81, sq. Raoul-Rochett. ibid. p. 274, sq.

7) Gerhard. Monumenta Musei Regii Berolinensis recens acquisita, n. 1621. 1622.

8) Mon. I. A. Tom. II, tab. IX, A, B.

9) Gerhard. l. l. p. 47.

10) Vas Berolinense, a Gerhardo nuperrime descriptum, et exemplar illius prorsus simile, quod nunc quidem Romae in thesauro Instituti archaeologici exstat, ad Polimartium (Bomarzo) sunt eruta. Vid. Gerhard. l. l.

mento valde memorabilis, parietes sepulcri magnifici, in agro Tarquiniensi reperti, condecorat[11]); altera, quae nondum est publici iuris facta, in aditu sepulcri Volcentini conspicitur[12]). Quibus operibus sculptis et pictis si Charontis sigillum addideris, quod et ipsum e sepulcro quodam Volcentino effossum est[13]), ea habebis monumenta, quibus nostra de daemone Etrusco commentatio erit fulta. Neque, monumentorum et numeri et locorum inita ratione, te fugiet, praecipue fuisse notam Charontis imaginem Volterranis, Clusinis, Volcientibus, Tarquiniensibus, ita tamen, ut Volaterrani eam satis crebro in urnarum frontibus partibusque transversis fingerent, Clusini autem, sicuti Volcientes et Tarquinienses, raro argumentis operum sculptorum pictorumve insererent.

Expositis monumentorum generibus, transeamus ad speciem Charontis describendam; quam, quum in diversis operibus diversa appareat, facilius me illustraturum atque depicturum spero, si, variis eiusdem imaginibus tamquam in unam coactis, primum solitarii et a ceteris figuris segregati vultum ac gestum expresserim, deinde autem proposuerim, quibus operum sculptorum pictorumque argumentis illa Charontis forma ab artificibus Etruscis addita sit et immixta. Primum igitur contemplemur memorabilem oris corporisque habitum, deinde vestitnm, tum symbola attributa, denique locum, quem infernns noster daemon in iis operibus, ubi solus conspicitur, obtinere solet.

Homo Graecus, Polygnoti Phidiaeve aequalis, Charontis nostri simulacrum intuitus, vix agnovisset notum sibi inferni lacus portitorem, quamvis minime dubitem, quin et ipse statim aliquempiam Iovis profundi famulum suspicaturus fuisset. Ea enim similitudo intercedit inter imagines daemonis nostri et Orci ministros, quos vel poetae veteres depingunt vel chorographi ex monumentis figuratis depictos passim exhibent, ut neminem fore putem, qui, conspecta Charontis effigie, non meminerit, verbi causa, Eurynomi Delphici, Herois Temesani, Deae fatalis in arca Cypseli pictae, aliorum daemonum, qui potissimum in descriptis inferorum regnis sunt obvii. Nam licet species Charontis Etrusci in universum a forma humana non admodum recedat atque adeo nonnullis in monumentis vel seni moroso[14]) vel adolescenti[15]) sit similis, tamen plerumque, praesertim si vultus habitum ac gestum consideraveris, mirum in modum foeda est atque efferata. Caput, sive horrida coma barbaque[16]) sive foeda calvitie[17]) deforme, sibilantibus in fronte colnbris interdum atrocius redditur[18]). Nasus praegrandis, qua aduncus[19]), qua

11) Mon. I. A. tom. II, tab. V. Cf. eiusdem Inst. Ephem. a. 1833, p. 74, sq. Annal. tom. VI, p. 160. 190 sq.

12) Kestner. in Ephem. I. A. a. 1833, p. 79. Cf. ibid. p. 74.

13) Mical. Mon. tab. XXXV, n 5. Histor. Ital. tom. III, p. 49.

14) Inghir. l. l. tab. XXXVIII.

15) Mus. Clus. tabb. XXVII, XXVIII, n. 1 (Mical. Mon. LIX, n. 5. 7); CXCII. Huc etiam pertineret Charontis figura ap. Inghir. l. l. tab. XXVIII, nisi hircinis auribus esset deturpata.

16) Inghir. Mon. Etr. Ser. I. tab. VII; VIII; XXVII; XXIX; XXXII. Mon. I. A. II, tab. V; IX, A, B. Idem in vasis Berolinensibus observatur.

17) Inghir. l. l tab. XVII.

18) Mon. I. A. II, tab. V.

19) Inghir. l. l. tabb. VII; VIII; XVII; XXXII. Atque ita in quattuor vasis pictis, quorum paulo supra mentionem fecimus.

collisna[20]), atque erectae aures ferinae[21]), quas cum lupinis caninisve haud incongrue comparaveris, totum oris habitum mirifice deturpant; qui etiam magis efferatus est in illa pictura, ubi daemon, hiantibus oculis atque rictu, tamquam insatiabili trucidandi cupidine flagrans, terribiles dentes exserit[22]). Cetera corporis facies in plerisque monumentis ab humana non discrepat, exceptis nonnullis anaglyphis, ubi Charon alatus[23]) conspicitur. Alarum autem forma proxime ad illam accedit, quam tot imagines alatae, veluti Furiae et Poenae, in operibus Etruscis, prae se ferunt, praeterquam quod in singulari anaglypho interna alarum pars oculo humano insignita est[24]).

Iam ex hac oris corporisque varietate iure colligis, non eandem semper normam artifices Etruscos in Charonte fingendo respexisse; rarioribus tamen monumentis remotis, si attenderis ad eam imaginem, quam opera pleraque tam sculpta quam picta praebent, facile observabis, efferum illud et auribus ferinis et naso adunco monstrum pervulgatum fuisse et ex communi quadam lege receptum, ita tamen, ut artifices, immanitatis notis qua demptis qua additis, feritatem alias mitigarent alias exasperarent. Praeterea eadem varietas in daemonis vestitu observatur. Perraro enim omnino nudum[25]) finxerunt, sed aut caput aut corpus vario induerunt vestitu, et ea quidem lege, ut, si corpus amicirent, caput non velaretur[26]); contra, velato capite, corpus sine amictu relinqueretur[27]). Itaque, ubi Charon corpore nudo conspicitur, caput eius aut panniculo[28]) est opertum aut pelle ferina[29]) ita velatum, ut, unguibus pellis in pectore colligatis, caput ferinum capiti Charontis sit impositum, quo facto noster daemon Herculi leonina pelle induto vel — ne superos inferis immisceam — vexillario Romano haud prorsus absimilis evasit, praesertim quum velamine illo aurea ferinae operiantur. Sed pauca sunt edita monumenta, unde tales Charontis imagines in medium proferamus; nec ea, quae exstant, ea videntur cura delineata esse, qua contemplanti prorsus liberum permittatur iudicium[30]). Sane quidem pleraque opera, tam sculpta quam picta, prorsus diversum vestimentorum genus exhibent. Tunicatus enim fere ubique Charon procedit, amictus vel sin-

20) Colliso naso nisi in pictura Tarquiniensi nusquam comparet. Mon. I. A. I. I.

21) Inghir. l. l. tabb. VII; VIII; XVII; XXVII; XXVIII. In tabulis XXIX, XXXII, XXXV, aures ferinae minus sunt conspicuae; in picturis vasorum nusquam desunt.

22) Mon. I. A. II, tab. IX, A.

23) Inghir. l. l. tab. VIII; XXVIII. Gor. Mus. Etr. tab. LXXXIV (Dempst. Etr. reg. tab. XLIV); CLVIII, n. 1. Maff. Mus. Veron. tab. III, n. 2. Mical. Mon. tab. CIV, n. 3.

24) Inghir. l. l. tab. VIII.

25) Mus. Clus. tab. XXVII. Non huc pertinet rude Charontis sigillum ap. Mical. l. l. tab. XXXV, n. 5, quum haud dubie in capite tegumentum quoddam adstrictum gerat.

26) Ita cunctis in operibus et sculptis et pictis, iis exceptis, quae in annotatione sequente indicamus.

27) Gor. l. l. tab. LXXXIV, n. 2; CLVII, n. 3; CLVIII, n. 1. Mical. l. l. tab. XXXV, n. 5.

28) Gor. l. l. tab. CLVII, 3.

29) Gor. l. l. tab. CLVIII, n. 1; LXXXIV, n. 2 (Dempst. Etr. reg. tab. XLIV). Maff. Mus. Veron. tab. III, n. 2.

30) Ne tamen existimes, tabulas illas, quas in annotatione praecedente laudavimus, omnino esse fide indignas, observare iuvat, anaglyphum, quantum ad argumentum atque Charontis vestitum, illis persimile nunc quidem in Mus. Berol. exstare, quod Gerhardus noster, quae est eius humanitas, probe delineatum nuperrime ad me misit.

gulis[31] vel binis[32] tunicis, iisque plerumque cinctis et sine manicis[33]), raro manicatis[34]); ita ut tunica eius, qualis mos inter veteres Romanos obtinuit[35]), plerumque substricta et brevis, citra humerum brachiumque desinat, et prioribus oris paulum infra medios lumbos vel ad genua demissa sit. Perraro autem neque nisi in picturis daemon indutus est amiculo quodam cincto, qua nodis colligato ambobus in humeris[36]), qua fibulato globulis in pectore alvoque[37]). Atque magis etiam ab usitata Charontis figura singularis recedit imago, quam in altero vase Berolinensi conspicimus[38]). Ibi enim, tanquam in novam mutatus formam, vestitus est tunica talari, cincta quidem et sine manicis, sed stellata institaque subsuta, cuiusmodi vestitus, respectis insuper coronis taeniisve, quas daemon tum in capite tum manu sinistra atque adeo in utroque humero gerit, eum propemodum muliebrem redderet, nisi caput adunco naso auribusque ferinis deforme et solita arma, id est, ingens malleus, notum iam nobis daemonem proderent. Quemadmodum autem Charon vel tunica vel simili vestimento solemniter amictus incedit, ita in plerisque monumentis cothurnatus[39]) est; quam calceandi rationem etiam in ceteris huius generis daemonibus, veluti in Furiis, solemnem fuisse, nemo nescit[40]). Ceterum Charon haud raro etiam calceatus[41]) aut nudatis[42]) pedibus comparet; et id quidem non solum in picturis, verum etiam in operibus sculptis observatur.

Quocunque autem modo figuratus est et amictus, nusquam ei deest ingens malleus, sive quadratus[43]) sive rotundus[44]). Quem, quum nonnullis in operibus, ubi rotundus apparet, utrinque vel ferro vel simili quadam materie praefixus[45]) videatur, haud scio an interdum ligneum voluerint artifices. Quod si ita se habet, iudicandum est, Charontem nostrum alias malleo fabrili, id est, ferreo, armatum esse, alias tudem

31) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. VII; XVII; XXVIII; XXVIII; XXIX; XXXII; XXXV. Mus. Clus. tabb. XXVIII, n. 1; CIXCII. Mical. Mon. tab. LIX, n. 7.

32) Inghir. l. l. tabb. VIII; XXXVIII.

33) Inghir. l. l. tabb. VIII; XXVII; XXVIII; XXXV; XXXVIII. Mus. Clus. ll. ll. Mical. l. l.

34) Inghir. l. l. tabb. VII; XXXII.

35) Gell. VII, 12.

36) Mon. I. A. II, tab. IX, A, B.

37) Ita in altero vase Berolinensi; vid. Gerhard. l. l. n. 1621, p. 46, atque infra nostram tabulae secundae interpretationem.

38) Gerhard. l. l., n. 1622, p. 48. Vid. infra nostram tabulae primae explicationem.

39) Inghir. l. l. tabb. VII; VIII; XVII; XXVIII; XXVIII. Gor. l. l. tabb. CLVIII, n. 1; LXXXIV, n. 2.

40) Böttiger. Larv. ferial. p. 23; 39, sq.

41) Ita in utroque vase Berolinensi. Gerhard. ll. ll. Vid. tabb. nostras I, n. 1; II.

42) Inghir. l. l. tab. XXXV. Gor. l. l. tab. CLVII, n. 3. Ita etiam in urnis Clusinis, quas laudavimus, atque in vase Beugnotiano. Mon. I. A. II, tab. IX, A, B.

43) Inghir. l. l. tabb. VII; XVII. Mus. Clus. tab. CIXC. Mon. I. A. II, tab. IX, A, B. Mical. l. l. tab. CIV, n. 3. Eandem formam malleus in utroque vase Berolinensi praebet; vid. tabb. nostras, I, n. 1; II.

44) Inghir. l. l. tabb. VIII; XXVII; XXVIII; XXXII; XXXV. Gor. l. l. tabb. LXXXIV, n. 2; CLVIII, 1. Mical. l. l. tab. XXXV, n. 5.

45) Inghir. l. l. tabb. VIII; XXVIII. Gor. ll. ll. In monumento singulari, id est, in urna Clusina (Mus. Clus. tab. XXVII. Ap. Mical. l. l. tab. LIX, n. 4.) Charontis malleus accedit ad formam eius instrumenti, quod, a Graecis σκαπάνη vocatum, crebro in vasis pictis conspicitur, quorum argumenta ad palaestram pertinent. Cf. Welcker. Ephem. monumentis antiquis explicandis, p. 237. Annal. I. A. tom. V, p. 86, annot. 4. In vase Beugnotiano (Mon. I. A. II, tab. IX, A.) malleus, sicuti Aiacis lorica, albo est colore, quo artifex haud dubie significavit, ferreum esse instrumentum.

ligneam, eandemque interdum ferratam gestare. Atque hoc instrumentum daemoni etiam in perraris illis monumentis attributum est, ubi gladio[46]) insuper armatus conspicitur. Quod quamvis secundum varia operum argumenta dispositionesque figurarum a Charonte varie gestetur ac tractetur, tamen in hac quoque re, sicut in multis, quae primo adspectu minuta esse et fortuita videantur, certa quaedam ratio ab artificibus servata apparet atque exsistit. Nam plerumque malleum, sive dextra[47]) sive laeva[48]) sive ambabus[49]) manibus manubrio prehenso, in unum alterumve humerum sublatum sustinet, aut, mallei ferro terrae impacto, erecto innititur manubrio[50]). Raro sive erectum[51]) in altum sive demissum[52]) gestat; rarius etiam tanquam ictum minitabundus vibrat[53]); neque magis obvius est gestus Charontis in vaso Beugnotiano picti, qui, impacto terrae manubrio, malleo nisus, cum Penthesilea placide videtur sermocinari.

Ecce Charontis imago, quatenus quidem eam dicendo scribendove depingere liceat. Quam si, postquam monumenta, quae huc faciunt, comparavimus, segregatis rarioribus exemplaribus, denuo rectractaverimus, manifestum erit, solemnem esse daemoni formam senis morosi, adunco naso auribusque ferinis deformis, tunicati, cothurnati, malleo sive tude armati.

Hic ubi solitarius conspicitur, id quod raro neque in operibus sculptis nisi in transversis urnarum partibus observatur, aut in scopulo[54]) sedet ante ianuam Ditis aut tanquam ex ea egressus et abiturus apparet[56]). Ianua ipsa, quae nonnullis in urnis sola, nulla figura adiecta, conspicitur,[57]) paucis lineamentis, ut in parte minus elaborata sarcophagi, obiter est significata. Neque, cui talium rerum est usus, dubitabit, quin idem similisve regni inferni locus alias quoque latenter indicetur, ubi pone Charontem sedentem, haud indicata ianua, anguis emergat[58]). Quod si erunt, qui in dubium vocent, iis hoc loco id solummodo suggerimus, argumenta eorum quoque anaglyphorum, quae illis Charontis imaginibus in oppositis urnarum partibus respondeant, omnia spectare ad mortem sedesque infernas[59]). Num vero idem argumentum obversatum fuerit animo artificis, qui in altero vase Berolinensi,[60]) nullius loci indicato signo, Charontem

46) Inghir. l. l. tabb. VIII; XXXVIII.

47) l. l. tab. VII. Mus. Clus. tabb. XXVIII, n. 1; CIXC. Laeva manu equi frenum arripit. Huc pertinet etiam vas Berol. Vid. infra tab. II.

48) Inghir. l. l. tab. VIII; ubi demissa dextra gladium demissum gestat, quem tollit in tab. XXXVIII. Praeterea vid. ibid. tabb. XXXII; XXXV.

49) Inghir. l. l. tabb. XVII; XXVIII. Mus. Clus. tab. XXVII.

50) Inghir. l. l. tab. XXIX. Mical. l. l. tab. CIV, n. 3. Et ea quidem anaglypha transversarum sunt partium. Adde his urnarum frontes ap. Gor., Dempst., Maff., ll. ll.

51) Mon. I. A. II, tab. V. Simili modo in vas. Berol. Vid. infra tab. II.

52) Inghir. l. l. tab. XXVII.

53) Mon. I. A. II, tab. IX, A.

54) l. l. Ibid. tab. IX. B.

55) Inghir. l. l. tab. XVII. In parte transversa, quae nostro anaglypha respondet, adolescens tunicatus equo adstans conspicitur. Cf. Uhden. in Comment. acad. Berol. a. 1827, p. 209, sq., atque infra annot. 59.

56) Mus. Clus. tab. XXVIII, n. 1. Ap. Mical. tab. LIX, n. 7. Charonti respondet in altera parte transversa Dea fatalis, et ipsa e ianua Ditis egressa.

57) Inghir. l. l. tab. XIII. Uhden. l. l.

58) l, l. tab. XXIX. Etiam in hoc anaglypho daemon in scopulo sedet. In altera parte transversa mulier alata, tunica talari et amiculo peploque induta, cippo nititur, quam Libitinam esse suspicor.

59) Cf. annott. 55, 56, 58, et infra 105.

60) Gerh. l. l. n. 1622. Vid. infra tab. I, n. 1.

sertis redimitum et placide ingredientem pinxit, haudquaquam audacter affirmaverim; licet minime dubitem, quin ista mulier, picta in aversa eiusdem vasis parte, quae, et ipsa sertis redimita, thyrsum gestat, ad expiationes pertineat, quibus deorum manium iram averruncari veteres crediderant [61]. Quae sententia si probabilis est, ambae vasis picturae sane simili quodam argumentorum vinculo inter se coniunctae videntur, quo binas transversas urnarum partes artifices solebant copulare. Sed rara exstant monumenta, quae solitarias illas Charontis imagines exhibeant. Plerumque, argumentis plus minusve amplificatis, daemon pluribus est figuris consociatus; quae cuiusmodi sint et qua ratione dispositae, hic accuratius exponere operae est pretium.

Quemadmodum enim in transversis urnarum partibus Charontem ad aditum inferorum qua assidentem qua adstantem vidimus, ita in amplioribus anaglyphis, quibus urnarum frontes adornatae sunt, haud raro Iovis profundi ianua est scena, ubi Charon atque illi, quos comitatur sive deducit, partes agunt. In universum enim illa ianua atque adstantes coniuges cognative, qui discessuri, iunctis manibus, ultimum sibi vale dicunt, inter anaglypha urnarum Etruscarum argumentum est satis obvium; neque Romani eodem non sunt interdum usi. Hoc tamen inter eiusmodi argumenta utriusque populi videtur interesse, quod artifices Romani coniuges iuxta ianuam Orci valedicentes aut sine ullo daemonum infernorum comitatu expressere, [62] aut, si quid eiusmodi adesse vellent, placidissimam illam ipsaque pulchritudine consolantem Leti iuvenilis imaginem apposuerunt [63]; Etrusci contra raro ita discessuros finxere, quin, apposito uno alterove Ditis satellite, tanquam ab infernis daemonibus abreptos atque agitatos, magis deplorandos redderent [64]. Omnino enim plurima eius gentis anaglypha sepulcralia ingenium quoddam triste ac destitutum hilari solatio huius alteriusque vitae spirant; bellatores caedentes caesi, sanguinolentae urbium expugnationes, sacrificia victimarum humanarum, sive vera sive ficta, monstra inferna, lecti funebres, sublata feretra, praeficae in domo funesta defunctum plangentes: talia fatorum humanorum momenta lugubria in argumentis operum Etruscorum crebro te commovent. Neque frangenda illa ad Orci ianuam foedera coniugum ita finxere, ut flebili discedentium habitu ac gestu contenti essent, sed, productis in scenam saevis Iunonis profundae famulis, dolori insuper horrorem infuderunt.

Nam plerumque coniugibus aut Dea fatalis [65] aut Charon [66] aut uterque daemon [67] adstat, ita ut hic ad dextram, illa ad laevam, sive viceversa, apparens, valedi-

61) Ita sentire videtur etiam Gerhard. l. l. p. 47, 49. Praeterea vid. infra nostram tabulae primae explicationem.

62) Hac pertinent mon. Vaticana in Descript. Urb. Rom. II p. 36, n. 136; p. 182. Cf. Uhden. in Comment. acad. Berol. a. 1818–19, p. 11.

63) Ita in insigni sarcophago Vaticano. Vid: Descript. Urb. Rom. II, p. 144, n. 65. Cf. Raoul-Rochett. Mon. ined. p. 218.

64) Cf. O. Mueller. Archaeol. §. 174, 431.

65) Gor. Mus. Etr. tab. CLXXXIX. Idem anaglyphum habes ap. Inghir. l. l. Ser VI, tab. Q 2, n. 1. Dea fatalis, uxori discessurae adstans, sublata dextra maritum abire iubet. A parte mariti tres filioli et quattuor cognati adulti locum habent.

66) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXXVIII. Hoc anaglyphum proxime accedit ad antecedens, praeterquam quod vicibus Deae fatalis Charon fungitur, qui praeter malleum gladio armatus est, quia innectas coniugum dextras rapturus videtur. Praeterea vid. Gor. l. l. tab. CLVII, n. 3.

67) Gor. l. l. tabb. LXXXIV, n. 2; CLVIII, n. 1.

centibus ultimum comminari discidium videantur. Nimirum aut Dea inexorabilis coniugem, nondum hac vita defunctum, uxore demissa, sublata manu recedere iubet,[68]) aut dirus ille Charon iunctas discedentium dextras gladio videtur rupturus[69]). Cuiusmodi adspectum, quasi per se haud satis lugubrem, etiam flebiliorem interdum eo reddiderunt, quod non solum defuncti defunctaeve cognatos, verum etiam filiolos filiolasque, parentes usque ad ianuam tremendam prosequutos, affinxere[70]). Vix credideris quondam fuisse, qui talia argumenta vel nuptias vel divortia, et monstrum illud infernum, Charontem dico, aut zelotypiae praesidem aut Picumnum sive Pilumnum, id est, deum coniugalem, interpretarentur[71]).

His in anaglyphis, ubi coniugum discedentium uni duntaxat unus daemon, sive Dea fatalis sive Charon, adest, artifices fortasse id egerunt, ut ipso daemone apposito atque in minitantis speciem figurato significarent, marito an uxori discedendum esset, id est, viri mulierisne cineres loculus contineret. Et observare licet, Charontem et Deam fatalem in eiusmodi argumentis ita promiscue iisdem fungi partibus, ut in uno eodemque argumento, ne dispositione quidem scenae figurarumque mutata, alias Charon alias Dea fatalis uxorem ad Orci claustra deducat[72]). Neque tamen in iis monumentis, ubi coniugibus utrumque Ditis famulum adstantem videmus, minus est perspicuum, utri sit discedendum. Nam deducendus coniux a superstite aut eo distinguitur, quod ille, altero ante fores relicto, in limine ianuae constitutus, iam iam abiturus apparet,[73]) aut gestu atque habitu daemonum significatur, utri sit discedendum[74]). Praeterea autem etiam in iis ossariis, ubi coniuges valedicentes nullis daemonibus comitantibus conspiciuntur,[75]) ex simulacris in operculo urnae positis facile licuit colligi, maris an feminae ossa loculus complecteretur. Quocirca haud scio an meo iure crediderim, ampla illa famulisque infernis insignita anaglypha non tam usui cuidam funebri ac necessario, quam singulari cuidam vel religionis vel artificialis rationis studio deberi; id quod vel ex ipsa argumentorum sepulcralium diversitate eluceat.

Quemadmodum enim Charontem nostrum cum defunctorum umbris ad terminum, id est, ad infernum et ipsius et illarum domicilium progressum vidimus: ita eundem opera nonnulla et sculpta et picta tanquam iter facientem umbrasque secum deducentem

Dempst. Maff. ll. ll. Praeterea Clusii, monumenta musei Casuccinii perlustrans, haec annotavi: Auf einer Sarcophagplatte steht Charon mit seinem Hammer ebenfalls an der Pforte der Unterwelt; in derselben befindet sich bereits der Abgeschiedene und reicht einer ausserhalb derselben stehenden Figur die Hand. Hinter dieser Figur erscheint die Todesgöttin. Uebrigens hat dieser Sarcophag sehr gelitten. — Simile quoddam argumentum, sed nullis daemonibus additis, conspicuum est ap. Gor. l. l. tab. CLVIII, n. 2. Micali. l. l. tab. CIV, n. 4.

68) Cf. supra annot. 65.

69) Cf. supra annot. 66. In anaglypho ap. Gor. tab. LXXXIV, n. 2 (Dempst. l. l. tab. XLIV; Maff. l. l. tab. III. n. 2), daemon laeva manu maritum videtur arripere; id quod etiam in urna Berolinensi observavi.

70) Vid. supra annott. 65 et 66.

71) Dempst. Etr. reg. ad tab. XLIV. Gor. l. l. tom. I, p. 152. tom. II, p. 293. De Picumno et Pilumno adeas Serv. ad Virgil. Aen. X, 76. Non. p. 523, ed. Gothofr. Cf. Hartung. Relig. Rom. II, p. 173.

72) Vid. supra annott. 65 et 66.

73) Tale est argumentum, quod exposui in annot. 67.

74) Vid. supra annott. 65, 69.

75) Coniuges sine comitantibus daemonibus conspicui sunt ap. Micali. l. l. tab. CIV, n. 4.

ostendunt. Comparet enim in iis vir, equo insidens, sive tunicatus [76] sive togatus [77] capiteque velato [78], modo volumina tenens, [79] modo suras indutus annulis, [80] quales, cupro facti, in brachiis surisque sceletorum tam Etruscorum quam Campanorum Apulorumque reperiri solent. Charon, malleo in humerum sublato, equum sive anteit, interdum torvo vultu umbram equestrem respiciens, [81] sive arrepto freno ducit, [82] sive placide sequitur [83]), partibus agasonis genio iuvenili commissis, qui, torque insignis, alatus humeris, subucula manicata tunicaque cincta indutus et cothurnatus, laeva manu conversam gerit facem. Quem quidem, quum proxime ad notam Leti imaginem accedat, Leti nomine significare liceat [84]). Neque hic solus est daemon, qui, Charonte excepto, in eiusmodi argumentis, tanquam alterius Charontis vices gerens, conspicitur. Etiam Dea fatalis in scenam prodit, alias, Charonte praeeunte, equitem, veluti propulsans, prosequens [85]), alias, omissa Charontis figura, praegrediens [86]). Unde iure collegeris, etiam in eiusmodi argumentis, sicuti in illis, quae paulo ante sumus contemplati [87]), qua Charontem qua Deam fatalem eodem fungi munere. Praeterea nonnullis in operibus umbram equestrem variae prosequuntur personae, quae daemonibus illis neutiquam accensendi videantur. Huc pertinet servus sive agaso, qui marsupium et vascula in tergo portat [88]); et in eximio vase Berolinensi mulier, quae, dextram ad equitem, hoc in mo-

76) Inghir. l. l. Ser. I, tab. VIII.

77) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXVIII.

78) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. VII; XXVII.

79) Vid. annot. 67.

80) Vid. annot. 77.

81) Inghir. l. l. Ser. I, tab. VII. (O. Muell. et Oesterl. Mon. art. antiq. fasc. V, tab. LXIII, n. 317). Ita etiam in vase Berol. ap. Gerh. l. l. n. 1621. Vid. infra tab. II.

82) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXVII. Huc etiam ibid. tab. VII, videtur pertinere.

83) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. VIII; XXVIII (Mical. l. l. tab. LIV, n. 1). Alias, Charonte omisso, idem genius alatus equitem sequitur. Vid. Gor. l. l. tab. CLXIX.

84) Collatis argumentis, quae in nonnullis urnarum anaglyphis conspiciuntur (Gor. Mus. Etr. tab. CLXIX. Inghir. l. l. Ser. I, tabb. VIII; XXVIII. Mical. l. l. tabb. LIX, n. 4 CIV, n. 1. 2.), vix dubitari potest, quin Etrusci, sicuti Graeci et Romani, interdum mitioris atque consolantis Leti imagine sint usi, quam, veluti saevientium in vitam humanam daemonum rabiem mitigaturi, quo Charonti (Inghir. ll. ll.), qua Deabus fatalibus (Mical. l. l. tab. LIX, n. 4) consociarent, aut, violentis illis daemonibus prorsus omissis, solum discedentibus comitem esse vellent (Gor. l. l.). Neque desunt omnino sarcophagi, quorum una pars transversa Charontem cumque teterrima facie praeditum continet, dum in altera mitior illa Leti figura comparet (Mical. l. l. tab. CIV, n. 2. 3). Atque haec mitioris Leti imago in anaglyphis laudatis ubique facem gerit. Nam quod ad anaglyphum ap. Mical. tab. LIX, n. 4, attinet, manifestum est, artificem, quum laevum daemonis brachium pone senem moribundum latere, dextram autem eiusdem dextrae filii adstantis coniunctam vellet, facem suo iure non addidisse.

At praeterea inter letiferas Etruscorum daemones tertia quaedam comparet figura, quae, quamvis tam Charonti quam Leto mitiori sit dissimilis, tamen haud dubie et ipsa ad imaginem Leti violentioris est referenda, de qua Raoul-Rochett. nuper egit luculenter in mon. ined. p 208, sq. Eam Leti figuram agnoscendam esse existimo in transversa urnae parte ap. Gor. l. l. tab. CXXV, atque ap. Mical. l. l. tab. CV, ubi gladii capulus in manu daemonis relictus satis ostendit, non esse Charontem, ut qui unquam non armatus malleo procedat. Haec autem Leti species haud dubie est repetenda ab imagine Orci, quem Euripides in scenam produxerat. Vid. infra annott. 301—303, et Raoul-Rochett. l. l. p. 217.

85) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXVII.

86) Ita in monumento Vaticano. Vid. Gerhard. in Descript. Urb. Rom. tom. II, p. 25, n. 11.

87) Vid. supra annot. 72.

88) Inghir. l. l. tab. VII (O. Muell. et Oesterl. l. l.).

numento singulari prorsus modo figuratum, tendens, sublata sinistra arculam sive acerram, figura quadam oculi simili insignitam, sustinet[89]). Ceterum ex his, quae attulimus, anaglyphis vix quisquam divinaverit, ubi, quo, unde locorum, eques noster procedat; nam certum quoddam loci indicium in nullo inveneris, praeterquam quod in singulari monumento cadavera duo, equo substrata[90]), non obiter videntur significare, mortuorum esse campum, ubi defunctus equo fatali vehatur; neque istiusmodi coniecturae comitantes Orci famuli non mirifice suffragantur.

Sed non est, quod coniecturis utamur, ubi longa monumentorum serie satis evinci queat, umbram illam virilem, equo fatali insidentem, relictis domi cognatis, alias deductam a daemonibus infernis, alias stipatam servis, marsupio, armis, vasculis, toga, cetera supellectile instructis, qua longum iter facturo opus est, re vera tendere ad Orci claustra, esque ingressam excipi atque consalutari ab amicis cognatisque, qui ante eam fatis functi, iam in communi mortuorum domicilio versentur. Veteres enim in universum similitudinem quandam mortis et longi itineris intelligentes[91]), defunctum vita ac decedentem crebro sub imagine proficiscentis profecturive adumbraverunt. Quod quidem artifices binis fecerunt modis, dum aut singulas actiones iter suscipientis suscepturive naturaliter exprimebant, aut symbola varia, ab iter facientis apparatu petita, ita argumentis vitae domesticae inserebant, ut intuenti facile manifestum foret, abeundum esse cuipiam suscipiendumque illud iter, unde nemini unquam reditus patuerit.

Ex hoc argumento, vel potius serie argumentorum, duo potissimum operum genera emanarunt, quorum quidem commune ac proprium id est, quod in utroque defuncti eorumque domicilia futura operte significantur; eo tamen maxime inter se differunt, quod argumenta prioris generis singula profectionis momenta naturaliter efficta continent, alterius contra non ipsas umbras proficiscentes exhibent, sed symbolice et latenter instans iter indicant. Itaque iis in anaglyphis, quae ab argumento principali haud incongrue triclinia vocari solent, plerumque ea invenis symbola, quae, ex illis veri itineris imaginibus deducta, ad imminentem profectionem, id est, ad mortem, spectent. Huc pertinet imprimis equus fatalis, sive mensae accumbentium adstans[92]) sive per fenestram in coenaculum introspiciens[93]); qui quid significet ne dubites, interdum alia quoque symbola sunt addita, quae subterranea defuncturi domicilia haud latenter indicent, ve-

89) Vid. infra tab. II.

90) Inghir. l. l. tab. LXXVII. Respiciere videtur hoc monumentum Uhden. in Comment. acad. Berol. a. 1818–19, p. 10, sed minus accurate decepit. Nam Charon et malleum gestat neque gladio est armatus, quem quidem sculptor Deae fatali tribuit, quae veloci propulsans equitem sequitur.

91) Plat. Apolog. p. 40, fin. Inghir. l. l. Ser. I, p. 58. 61. O. Mueller. Archaeol. §. 431.

92) Zoeg. Anaglyph. Rom.. tab. 11. Idem exstat ap. Winkelm. Mon. ined., p. 22, tab. XIX. Inghir. l. l. Ser. VI, tab. O 2, n. 4. Adde Marm. Oxon. n. 142. Gor. Mus. Etr. III, cl. 3, tab. XIX, n. 1. Inghir. l. l. Sec. I, tab. 72. Mon. Math. III, tab. 72, ubi equus ad palmam adstat. Cf. Gerhard. in Descript. Urb. Rom. tom. II, p. 181, n. 54, et p. 98, in annot. O. Muell. l. l. §. 428. Raoul-Rochett. Mon. ined. p. 96, annot. 1.

93) Zoeg. l. l. tab. XXXVI. Idem exstat ap. Inghir. l. l. Ser. VI, tab. G 5; ap. Winkelm. l. l. tab. XX; sed Winkelm. quercum lecto appositam omisit. Adde Montefalcon. Antiq. explic. III, tab. LVIII. Maff. Mus. Veron. tab. CXXXIX, n. 6. Inghir. l. l. Ser. VI, tab. E 2, et, quod nuper est editum, Mus. Clus. tab. A

luti serpens, morituri qua capiti[94]) qua pedibus[95]) advolutus. Cuiusmodi symbolis funereis haud scio an etiam canis[96]) et quercus[97]) et palma[98]) sint accensenda, quippe quae nonnullis in tricliniis sane apud accumbentes appareant.

Neque in altero anaglyphorum genere, ubi quidem defunctum sub imagine viri equestris conspicimus, omnino desunt symbola, quae itineris causam atque finem plus minus aperte prodant. Primum enim, dum ille, manu corollam funeream tenens, suis valedicit, aut Dea fatalis ipsa aut agaso, marsupio ceteraque supellectile onustus, conacendendum equum frenis adducit[99]). Tum, umbra iam equitante stipataque comitantibus servis[100]), unus alterve agasonum et ipso interdum corollam gestat[101]). Denique iam regna inferna ingredientem ingreasurumve non solum indicata Orci ianua[102]) et obviam venientes cognati[103]), sed etiam amphora[104]) vel galea Ditis[105]), equo proficiscentis

94) Inghir. l. l. Ser, VI, tab. E 2.

95) Mus. Clus. tab. A.

96) Zoeg. l. l. tab. XXXVI. Dubito an cancs, equi, famuli, qui in talibus anaglyphis compareat, ex ea sint repetendi consuetudine, quam respicit Serv. ad Virg. Aen. VI, 228: nobiles nunquam soli comburebantur, — sed cum dilectis equis, vel canibus, vel famulo. Cf. infra annot. 132, fin.

97) Zoeg. l. l. Ramos querceus etiam Genii defunctorum, alias Leti genii vocati, gestant in anaglypho Vaticano (Cortile di Belvedore, n. 65); et iisdem frondibus interdum latera ossariorum sunt exornata. Vid. Descript. Urb. Rom. tom. II, p. 143; 156, n. 95.

98) Mon. Math. III, tab. LXXII. Cf. de his symbolis Gerhard. in Descript. Urb. Rom. p. 98, in annot. Praeterea vid. paulo infra annot. 106.

99) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XXXVII; LXI; LXXX.

100) Inghir. l. l. tabb. XIV; XVIII. Ser. VI, tab. B 2, n. 1. Descript. Urb. Rom. tom. II, p. 25, n. 8.

101) Inghir. l. l. Ser. VI, tab. B 2, n. 1.

102) Mus. Clus. tab. CLXXXVI. Inghir. l. l. Ser. I, tab. XV.

103) Ne obviam venientes figuras muliebres Parcas esse credas (Gor. Mus. Etr. I, p. 189), monumenta impediunt, in quibus non solum tres mulieres, sicut ap. Gor. l. l. tabb. LXXXIV et CLXIX, sed etiam singulae vel binae, et eae quidem interdum et viris et filiolis coniunctae, umbrae equitanti occurrunt. Vid. Mus. Clus. tab. CLXXXVI. Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XXXIII; XV; XXXIV. Talia argumenta non dubito quin ad umbras in Elysio a cognatis exceptas pertineant. Stat. Silv. II, 6, 398:

— — — subit ille pios, carpitque quietem
Elysiam, carosque illic fortasse parentes
Invenit.

Ibid. III, 3, 205:

Talia dicentem genitor dulcedine laeta
Audit, et immites lente descendit ad umbras,
Verbaque dilectae fert narratorus Hetruscae.

Ibid. V, 1, 253:

Praeterea si quando pio laudata marito
Umbra venit, iubet ire faces Proserpina laetas,
Egressasque sacris veteres Herotdas antris
Lumine purpureo tristes laxare tenebras,
Sertaque et Elysios animae praesternere flores.

Et ibid. V, 3, 284, de umbra paterna:

Ite, pii Manes, Graiumque examina vatum,
Illustremque animam Lethaeis spargite sertis,
Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erynnis,
In quo falsa dies, coeloque simillimus aether.

104) Gor. II. II.

105) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XV. Descript. Urb. Rom. II, p. 25, n. 5. Ditis esse galeam, quae, exceptis fimbriis squamulisve, quibus margo eius est exornatus, a pileo Phrygio haud ita multum recedit, viri docti recte videntur collegisse ex anaglypho, cuius argumentum est raptus Proserpinae (Gor. Mus. Etr. tab. LXXVIII, p. 178). Ibi enim et Mercurius et Dis eodem prorsus modo amicti conspiciuntur, praeterquam quod ille galeam sine squamulis in capite gerit, Plutonis autem galea squamata est atque, ad terram delata, inter Mercurii pedes iacet. Ceterum idem argumentum, in sarcophagis tam Romanis quam Etruscis crebro repetitum, alii artifices alio modo variarunt, atque adeo interdum ei Encaladum immiscuerunt (Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tab. LIII. Ser. VI, tab. D 5), cuius vicem alias serpens obtinet (Inghir. l. l. Ser. I, tab. IX). Monstrum enim illud ungulis equorum infernorum substratum, quamvis proxime ad figuram daemonis marini acce-

subiecta, sicuti palma apposita[106]), et ipsa notum vitae fortiter peractae signum, haud latenter, opinor, significant; neque interdum non adest genius ille alatus[107]), qui etiam in nonnullis anaglyphis Charontis figura insignitis iter facientem prosequitur[108]). Quod quum ita se habeat, profecto non amplius videtur esse dubium, unde, ubi, quo umbra illa equestris equo fatali vehatur. Nimirum domo profecta, tendit, non quidem ad coelites[109]), sed recta via ad Orci claustra. Atque elucet, artifices Etruscos hoc argumento, ex ordine rerum et actionum, ut vides, tripartito[110]), in exornandis ossariis ita fuisse usos, ut, singulis eius momentis veluti in totidem scenas dispositis, unam alteramve scenam in frontibus sarcophagorum exsculperent.

Conspicuus est igitur eques ille alias domi, uxori ceterisque cognatis ultimum dicens vale[111]), atque, adstantibus servis varia supellectile onustis, iam iam fatalem conscensurus equum; alias equo insidet, et stipatus servorum hastatorumque caterva, iam

dat, tamen ad Enceladum esse referendum, Claudiani eandet descriptio, Rapt. Proserp. II, 156:

Iamque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quaerebat iter, gravibusque gementem
Enceladum calcabat equis. Immania findunt
Membra rotae, pressaque gigas cervice laborat
Sicaniam cum Dite ferens, tentatque moveri
Debilis, et fessis serpentibus impedit axem;
Fumida sulfureo praelabitur orbita dorso.

At galeae rapturi Inferno additae haud scio an unicum illud exemplar hodie exstet. Neque tamen dubitaverim, quin artifices hoc symbolo, aperto de mythologia Graeca repetito (Hom. Il. V, 845. Apollod. 1, 2, 1; 6, 2. II, 4, 2), in argumentis tam mythicis quam funebribus significaverint τὸ ἀόρατον, quo et Proserpinae et defunctis esset abeundum. Qua symboli vi perspecta, non videor mihi nimis indulgere ingenio, si illam quoque supellectilem, quam faci exstinctae affixam adulescens humero portat (Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXXI, in transversa urnae parte), quum galeae Ditis simillima sit, idem esse mortis symbolum eoque animae profectionem indicari existimem.

106) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XXXIII; XXXIV. Memineris, palmam in tricliniis quoque interdum apparere. Vid. supra annot. 98.

107) Gor. l. l. tab. CLXIX; dextra eius manus mutilata est; sed non dubito, quin, sicuti in monumentis supra allatis (vid. annot. 83), facem gesserit.

108) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. VIII; XXVIII (Mical. l. l. tab. CIV, n. 1).

109) Mira Inghiramii commenta habes l. l. Ser. I, ad tab. VII, et in multis locis eiusdem operis, quae semel hic attigisse satis sit. Sane cautius videntur iudicasse Fabrett. inscriptt. domest. c. III, n. XXIX, p. 161. Bonarot. de nonnull. num. memorial. p. 42. Gor. Mus. Etr. tom. III, diss. III, p. 174, sq., qui in eiusmodi anaglyphis animarum transitum ad campos Elyseos adumbratum voluere, id quod, quum opera illa non ad manum sint, ex Inghiramio, l. l p. 50, intelligere mihi videor. At nulla apparet ratio, cur umbram equestrem, nisi certo certi loci signo addito (vid. supra annot 102-106), utique ad certum quendam et circumscriptum inferorum locum abire putemus, quum non tam ipsa loca inferna quam decessus defuncti, suscipiendum susceptumve iter, atque actiones, quae ad id pertineant, principalia talium operum argumenta videantur suppeditasse. Quapropter monumenta nostra in universum nihil aliud quam decessum ad Orcum significare, equidem existimaverim.

110) Prima quidem pars argumenti actiones complectitur, quae ad decessum a familia domoque pertinent. Altera ad umbram proficiscentem atque iam in itinere versantem spectat. Tertia umbrae adventum in Orco deorumque manium salutationem continet. Ad tria haec argumenta, quae quidem unius argumenti principalis tamquam singuli sunt actus, non solum multa anaglypha in sarcophagorum frontibus redeunt, verum etiam tot figurae solitariae, quae in transversis urnarum partibus comparent. Ceterum in eiusmodi argumentis equidem nihil invenio, cur ea aut ad res mysticas aut ad astronomiam aliasve altioris philosophiae disciplinas referam; id quod ingenue fateri mihi liceat, quum nonnulli viri docti in his monumentis interpretandis mirum quantum ingenio videantur indulgere.

111) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XXXVII; LXI; LXXX.

incepto itinere, pergit[112]; alias denique, ianua Ditis modo superata, a cognatis excipitur, manibus sive iunctis[113] sive porrectis[114] salutantes salutans.

Talia autem argumenta artifices non solum in frontibus urnarum integra effinxerunt, sed etiam, singulis eorum figuris disiunctis, saepius singula unius argumenti momenta in transversis urnarum partibus disposuerunt, quo facto anaglypha partium transversarum haud raro non solum inter se, verum etiam cum opere principali in fronte loculi exsculpto arcta quadam argumentorum similitudine coniuncta apparent[115]. Est igitur sane dolendum, quod ornamenta tot partium transversarum aut prorsus perierunt, aut non una saltem cum anaglyphis frontium sunt edita. Sed sufficiat, rem magni momenti paucis hic attigisse.

Talibus anaglyphorum argumentis perspectis, iam manifestum est, iisdem adnumeranda esse etiam ea monumenta, ubi Charon umbram equestrem sive praegrediens sive prosequens deducit[116]. Itaque in nostris operibus non solum Dea fatalis et Letum[117] apparent, qui daemones alibi, Charontis figura prorsus omissa, vel fatalem equum adducunt[118], vel equitem iter facientem comitantur[119]; sed prodit in scenam etiam servus ille supellectile onustus[120]; prodeunt cognatae defunctae, a Leto umbrae adequitanti obviam ductae[121]; nec amplius dubium est, quin cadavera illa, in anaglypho sane rudi animae equestri substrata[122], eodem modo terminum itineris significent, quo in aliis iisque melioribus operibus amphora, palma, galea Ditis, serpens, equitem sedes infernas ingredientem sive ingressurum symbolice indicant.

Elucet igitur, Charontem nostrum, quem alibi circum Orci claustra versantem atque vagantem vidimus, his in argumentis, aeque ac Deam fatalem et Letum, id agere, ut tanquam psychopompus defunctorum umbras, plerumque sub imagine equestris viri adumbratas, ad eundem deducat locum. Artifices autem animas non solum equestres, verumetiam pedestres a Charonte deductas interdum in ossariis exsculpsisse, singulare anaglyphi Volaterrani argumentum docet, in quo speciem quandam togatam mitraque indutam, incertum, marem an feminam, conspicimus, quae a daemone nostro prehensa brachio abducitur[123].

Iam consentaneum est, Charontem, quem modo ad Orci ianuam tendentem eamque ingressum vidimus, etiam intra limina inferorum partes agere. Re vera exstat ana-

112) Inghir. l. l. Ser. VI, tab. B 2. Ser. I, tabb. XIV; XVIII.

113) Mus. Clus. tab. CLXXXVI. Gor. l. l. tab. CLXIX. Inghir. l. l. Ser. I, tab. XV.

114) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XXXIII; XXXIV.

115) Huc pertinent haud dubie partes transversae ap. Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XVII; XIV.

116) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. VII (O. Muell. et Oesterl. Mon. art. antiq. fasc. V, tab. LXIII, n. 317); XXVII; VIII (Mical. l. l. tab. CIV, n. 1); XXVIII. Gerhard. Mon. Mus. Reg. Berol. rec. acquis. n. 1621. Vid. infra tab. II.

117) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. XXVII; VIII (Mical. l. l.); XXVIII.

118) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXXVII.

119) Gor. Mus. Etr. tab. CLXIX. Descript. Urb. Rom. tom. II, p. 25, n. 11.

120) Inghir. l. l. Ser. I, tab. VII (O. Muell. et Oesterl. l. l.).

121) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXVIII.

122) Inghir. ibid. tab. XXVII.

123) Inghir. ibid. tab. XXXV, n. 2. Exstat in transversa urnae parte atque, ut totum opus, rude scalprum prae se fert.

glyphum singulare quidem et parum elaboratum, cuius argumentum, ni prorsus fallor, ad Charontem, apud inferos munere tortoris fungentem pertinet [124]. Conspicuus enim est in opere nostro tali forma ac gestu figuratus, qualem eius proprium esse satis probavimus. Hic autem procedentem comitatur alter quidam daemon, et ipse deformis, togatus, annulisque illis cruralibus indutus. Is ambabus manibus gestat atque praetendit, non facem quidem [124b]), quam artifex etiam rudior certe accuratius expressisset, sed instrumentum, quod furcae bicorni sive unco leviter curvato facillime comparaveris. Duabus his figuris exceptis, nihil amplius in nostro anaglypho conspicis, ne loci quidem indicium. Enimvero in tali argumento non opus erat eo, quum consociata monstra ipsa per se originem suam atque sedem facile proderent intuenti.

Pertinet enim monumentum sine dubio ad ea opera, in quibus artifices, variis animarum tormentis tortoribusque quibusdam infernis in scenam productis, regna subterranea et supplicia veterum malorum, quae illic expendenda forent animis, eo consilio in conspectu posuerunt, ut non singula singularis cuiusdam animae fata futura exprimerent, sed universam quandam Orci notionem atque imaginem in animis intuentium excitarent. Cuiusmodi argumenta profecto non emanarunt ex vetere quadam Etruscorum disciplina, sed eorum summa redit ad superstitiones Graecorum, quas ab Etruscis receptas fuisse vel ex his monumentis elucebit.

Iam aetate Aristophanis ac Platonis, et certe multo ante, vulgo Graecorum vestibula inferorum miris terriculamentis monstrisque horrendis squalebant, neque potuit fieri, quin, ingruente in dies superstitione, numerus eorum seculis posterioribus mirum in modum adaugeretur. Itaque in squalidis inferorum campis non modo illa invenis monstra, quibus domandis trucidandisve heroes antiquissimi, Hercules, Perseus, Bellerophon, alii, fortia exercuerunt arma, id est, Cerberum, Gorgones, Echidnas, Chimaeras, Harpyias, Centauros, Hydras [125]); verum etiam alia portenta, veluti Empusas [126]), Scyllas [127]), multiplices belluarum formas [128]), quae vel in primis Orci faucibus stabulant [129]), vel in locis purgatoriis imisque tartaris animas lustrandas atque puniendas dilaniando lambendo-

124) Inghir. l. l. Ser. I, tab. XXXII. Similia anaglypha sunt conspicua in partibus transversis sarcophagi ab Inghiramio, l. l. tab. III, editi. Ceterum nostrum anaglyphum respicit Uhden, in comment. acad. Berol. a. 1818—19, p. 5.

124b) Ita enim sentiunt et Uhden., l. l., et Inghir., l. l. p. 285, qui daemonem Furiam esse vult. Cuius sententiae ne adstipulemur, vel figurae amictus, qui a Furiarum vestitu omnino recedit, obstat.

125) Inter monstra inferna invenimus Gorgones (Aristoph. Ran. 478. Virgil. Aen. VI, 289), Echidnam (Aristoph. l. l. 474: Ἔχιδνά θ' ἑκατογκέφαλος, ἣ τὰ σπλάγχνα σου διασπαράξει), Chimaeram (Virgil. l. l. 228), Harpyias (Virgil. l. l. 289. Sil. XIII, 600), Centauros (Virgil. l. l. 286. Stat. Silv. V, 3, 280), Hydras (Virgil. l. l. 287; 576. Stat. l. l.). Adde Geryonem (Virgil. l. l. 289. Sil. l. l. 587), equos Diomedis (Sil. l. l. 442), Orthrum (ibid. 847), Striges (ibid. 598), Briareum (Virgil. l. l. 287), Typhoeum, arma tenentem (Virgil. l. l. VIII, 298), Cyclopes (Sil. l. l. 441).

126) Aristoph. Ran. 287. 292.

127) Virgil. l. l. 286. Stat. Silv. V, 3, 280. Cf. Heyn. ad. Virgil. l. l.

128) Aristoph. l. l. 143:

μετὰ ταῦτ' ὄφεις καὶ θηρί' ὄψει μύρια δεινότατα.

Quod terriculorum genus Stat. Silv. l. l. Hydrae greges videtur vocare.

129) Virgil. l. l. 285:

Multaque praeterea variarum monstra ferarum.

que excruciant[130]). Praeterea autem adsunt terribiles quidam Ditis ministri, igneis oculis ac specie scintillantes, qui, ad modum operarum fabrilium, malleis atque forcipibus aliisque tormentis armati, animas sceleratas excarnificant[131]). Cuiusmodi tetrae opiniones unde et quibus auctoribus in antiquas Graecorum religiones irrepserint, infra fortasse apparebit; hic sufficiat observare, multa eiusmodi argumenta, sicuti animarum beatarum myrteta et choreas[132]), sive luculenter et prolixe expressa[133]) sive paucis figuris symbolisve[134]) adumbrata, sane in Etruscorum ossariis picturisque sepulcralibus esse obvia.

Centauri, mares feminaeque, quos in talibus argumentis aliquid aliud quam meras Lapitharum pugnas significare, iam Gorius et Bonarota suspicati[135]) sunt, quamvis iis no-

130) Plat. Axioch. p. 371: *ὅσοις δὲ τὸ ζῆν διὰ κακουργημάτων ἠλάθη, ἄγονται πρὸς Ἐριννύων ἐπ' ἔρεβος καὶ χάος διὰ ταρτάρου, ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν — — ἔνθα θηρσὶ περιλιχμώμενοι καὶ λαμπάσιν ἐπιμόνως πυρούμενοι Ποινῶν καὶ πᾶσαν αἰκίαν αἰκιζόμενοι ἀϊδίοις τιμωρίαις τύχονται.* Cf. Virgil. Aen. VI, 576; 625.

131) Vid. infra annott. 314 – 316.

132) Inghir. l. l. Ser. IV, tab. XX. Mon. I. A. tom. I, tabb. XXXII; XXXV. Mical. l. l. tabb. LXVII, n. 1. LXVII, n. 2. Talia argumenta ad campos elysaeos referenda esse, non est quod dubites. Ea enim sunt loca,

Ἐντεῦθεν αὐλῶν τίς σε περίεισιν πνοή,
ὄψει δὲ φῶς κάλλιστον, ὥσπερ ἐνθάδε,
καὶ μυῤῥινῶνας, καὶ θιάσους εὐδαίμονας
ἀνδρῶν, γυναικῶν, καὶ κρότον χειρῶν πολύν.

Aristoph. Ran. 154. Adde notas Pindari locos, Ol. II, 66 (106); fragm. thren. I. Cf. Plat. Axioch. p. 371.

Praeterea etiam illa in picturis sepulcralibus convivia, quae myrtetis illis choreisque arcte sunt conjuncta, ad vitam beatam iure referas. Plat. Rep. II, p. 363: *Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις· εἰς Ἅιδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες, καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας, ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον.* Adde Axioch. l. l. *ἔνθα — — κύκλιοι χοροὶ καὶ μουσικὰ ἀκούσματα, συμπόσιά τε εὐμελῆ καὶ εἰλαπίναι αὐτοχορήγητοι — — ἐνταῦθα τοῖς μεμυημένοις ἐστί τις προεδρία.*

Porro quid sibi velint aviculae, quibuscum beati in myrtetis Elysii ludentes conspiciuntur, docet Statius, Silv. II, 1, 205, ubi haec de umbris Blaesi et Glauciae:

Ipse manu gaudens vehit, et, quae munera mollis
Elysii, steriles ramos, m u t a s q u e v o l u c r e s
Porrit, et obtuso pallentes germine flores.

Atque idem in Theb., VIII, 195:

An tibi felices lucos miseratus Averni
Rectoe et E l y s i a s dedit inservare v o l u c r e s?

Neque scio an talia sint e consuetudine quadam veterum Italorum derivanda. Haec enim habes ap. Plaut. in Capt., V, 4, 5:

Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent:
Itidem haec mihi advenienti upupa, qui me delectet, data est.

Constat autem, tales delicias una cum defunctis combustas esse, qua de re locus classicus ap. Plin. Epist. IV, 2: Habebat puer mannulos multos, et vinctos et solutos: habebat canes maiores minoresque: habebat luscinias, psittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit.

133) Ita quidem plerumque in picturis sepulcralibus. Inghir. l. l. Ser. IV, tabb. XXIV; XXV; XXVI. Ser. VI, tab. E 5. Mical. l. l. tab. LXV.

134) Ita in frontibus partibusque transversis urnarum, quo pertinent anaglypha statim commemoranda.

135) Gor. Mus. Etr. II, p. 287, haec dicit: procul dubio haec feralia emblemata aliquid aliud, praeter Lapitharum cladem et fugam, designant: atque, uti censeo, Mortem vel Fatum malignum, a quibus omnia, atque ipsam quoque hominum vitam, pendere arbitrabantur. — Rectius haud dubie Bonarota ad Dempst. p. 25: — credendum est, continere peculiares fabulas — quia eadem ipsa monstra — fabulae inter monstra Inferorum referrent —.

tus Virgilianus locus memoriae excidisse videatur: Centauri igitur, catervas umbrarum urgentes armisque solitis impugnantes, in tribus sarcophagorum frontibus sunt conspicui[136]. Neque officit huic interpretationi, quod umbrae illae viriles, tanquam defensurae, strictis gladiis hastisque vibratis adversus monstra videntur bellare. Nam is ipse umbrarum habitus ac gestus aut emanavit ex iis poetarum locis, ubi vel heroes, regna inferna adituri, conspectis illis terribilibus formis, subita formidine percussi, ferrum stringunt[137], aut et poetae et artifices sua derivaverunt ex communi quodam superstitionum fonte[138]; cui sententiae equidem minime refragari velim. Praeterea in ossariis etiam Scyllas habes, sive solas[139] sive Hippocentauridibus consociatas[140], umbrasque contra pugnantes squamosis caudis circumligantes ac remis sublatis tundentes. Quibus monstris forsitan aliae quoque atque multae belluarum formae sint accensendae, quae modo solae[141] modo varias umbrarum figuras caudis circumvolventes unguibusque dilaniantes in anaglyphis urnarum Etruscarum conspiciuntur[142]. Carnifices autem illi inferni, humana quidem nec admodum terribili specie praediti, in picturis sepulcralibus praecipue sunt conspicui. Prodeunt enim ibi, mares feminaeque, armati uncis[143], malleis[144],

136) Gor. l. l. tabb. CLII, n. 1. 2. CLIII. Similia argumenta, sed haud dubie negligenter delineata, exstant ap. Dempst. Etr. reg. tab. XXI. Maff. Mus. Veron. tab. VII, n. 1.

Animas autem re vera a Centauris, sicuti a Scyllis, Orthro, aliis monstris, infestari: Statii locus aperte docet, ubi poeta deos inferos precatur, ut umbram paternam benigne excipiant:

At vos umbrarum reges, Ennaeaque Iuno,
Si laudanda precor, taedas auferte comasque
Eumenidum: nullo sonet asper ianitor ore:
Centaurusque, Hydraeque genus, Scyllaeaque monstra
Aversae celent valles.

Invaluerat enim opinio, animas hominum piorum, veluti initiatorum, Orci claustra intrantes minus a monstris infernis terreri. Cf. Stat. Silv. II, 1, 185. III, 3, 26. V, 1, 249.

Centauri autem in monumentis Etruscis interdum tam Scyllis, quam aliis consociati sunt monstris infernis, veluti Chimaerae, in anaglypho vasis fictilis ap. Mical. l. l. tab. XX, n. 1.

137) Virgil. Aen. VI, 290. Cf. Heyn. ad Apollod. II, 5, 12.

138) Notum enim est, bellatorum animas armis instructas ad Orci claustra pervenire (Hom. Odyss. XI, 41), quas, sicuti Aeneam et Herculem, formidine correptas, contra monstra inferna gladios stringere, haud scio an artifices Etrusci voluerint. Cf. supra annot. 136, atque monumenta, quae in annotationibus sequentibus attulimus.

139) Gor. l. l. tab. CXLVIII, n. 1. 2. Dempst. l. l. tab. LXXX, n. 2. Cf. Mical. l. l. tabb. CX; CXI.

140) Gor. l. l. tab. CLIV, n. 2.

141) Gor. l. l. tab. CLVI, n. 2. Dempst. l. l. tab. LXXXV, n. 2.

142) Inghir. l. l. Ser. I, tab. LXXIX. Gor. l. l. tab. CLVI, n. 1. Neque tamen negaverim, nonnulla eiusmodi anaglypha haud inepte ad fata Archemori referri posse, d. q. vid. Uhden. in comment. acad. Berol. a. 1816—17, p. 33. Inghir. l. l. p. 519. 687. sq.

143) Inghir. l. l. Ser. IV, tabb. XXIV; XXVII, n. 3.

144) Ibid. tabb. XXIV; XXVI; XXVII, n. 1. 3. Ser. VI, tab. E 3. Mical. l. l. tab. LXV.

In pictura postremo laudata alii daemones albo sunt colore, alii atro; nec incongrue viri docti illos daemones ad binos singulorum hominum genios videntur referre. Nam licet Horatius (Epist. II, 2, 187) unum duntaxat naturae humanae deum, vultu mutabilem, album et atrum, agnoscat, tamen fuisse, qui crederent, singulis hominibus binos esse genios, i. e. bonum et malum, quibus assistentibus aut asscrerentur in meliorem vitam aut condemnarentur in deteriorem: ex Servio (ad Aen. VI, 743) constat. At ne pedibus in hanc eamus sententiam, Varro (ap. August. C. D. VII, 6) nobis obstat, qui genios in caelo, inter lunae gyrum et nimborum ac ventorum cacumina morari vult, neque singulis hominibus nisi singulos tribuit genios (ibid. c. 13). Quapropter daemones nostros non

furcis[145]), sagittis[146]), facibus[147]); qua fuligine atra obsiti[148]), qua membris extenuatis macilenti[149]).

Hinc exaudiri gemitus; et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri[150]).

Nimirum excruciantur animae, aliae malleis pertusae, aliae uncis dilaniatae, aliae, sicuti poeta eas depingit, panduntur inanes suspensae ad ventos[151]), aliis denique, facibus admotis, vetus scelus exuritur igne.

Iam eas picturas illasque in anaglyphis figuras Centaurorum, Scyllarum, Hydrarum, aliarum belluarum, ad unum idemque argumentum pertinere, non solum umbrae eodem modo suspensae in utrisque monumentis satis ostendunt[152]), verum etiam natura atque habitus tortorum infernorum, quippe qui et ipsi, ingenii utriusque artis ratione habita, sub eadem fere specie et picti et sculpti appareant[153]). Etenim quemadmodum in picturis sepulcralibus daemones, muniti malleis et uncis, animas puniendas vexant, ita in anaglyphis iidem, Centauris consociati, in umbras saeviunt; et id quidem, ut species animarum suspensarum satis innuunt, sine dubio in iisdem locis purgatoriis.

Atqui in utroque operum genere nonnullae tortorum figurae ad Charontis nostri speciem sane prope accedunt; apparent enim viriles, cinctis indutae tunicis, cothurnatae, comis barbaque hirsutis, atque, quod plurimum valet, armatae sive malleo solo sive praeter malleum gestantes uncum[154]); dum ceterae species ultrices, quas, quum plerumque feminini videantur esse sexus, haud immerito Poenas vocaveris, vel alatae prodeunt, vel formam muliebrem sive iuvenilem prae se ferunt.

Inde igitur primum iure colligere videmur, Charontem Etruscum etiam carnificis inferni munere fungi: quam sententiam, ex collatis monumentis satis probatam, mirifice confirmat celebre ossarii anaglyphum, quod argumenta ex Orestiade petita continet, in quo et Furia et Charon, una ex profundo emergentes, parricidae, qui in aram confugit, manus ultrices armaque inferna intentant[155]). Deinde autem liquet, tetram illam figuram, quae in nostro anaglypho, unco furcave munita, praecedentem Charontem prosequitur, unum esse carnificum infernorum. Denique, quum in opere praeter daemones ingredientes nullum prorsus appareat loci indicium, unde eos sub dio versari suspiceris, non dubium restat, quin sculptor satis duxerit, ipso argumento significasse, actionis scenam ea esse loca, ubi id genus tortorum infernorum ex opinione vulgi potissimum ageret partes, id est, templa Acherusia[156]).

cum firma animi confisione ad defunctorum genios retulerim, praesertim quum eos tormentis instructos videamus, id quod in genios illos humanos sane non bene videatur quadrare. Ceterum cf. Hartung. Relig. Rom. 1, p. 34, sq.

145) Inghir. l. l. Ser. IV, tab. XXV.

146) Ibidem.

147) Inghir. ibid. tab. XXIV.

148) Vid. supra annot. 144.

149) Inghir. l. l. Ser. IV, tabb. XXV; XXVI.

150) Virgil. Aen. VI, 557, sq.

151) Gor. Mus. Etr. tab. CLII. Inghir. l. l. tab. XXIV. Virgil. l. l. 740.

152) Gor. Inghir. ll. ll.

153) Gor. l. l. tabb. CLII, n. 1. CLIII. Inghir. l. l.

154) Cum monumentis laudatis conferas etiam Inghir. l. l. tab. XXVII.

155) Mical. l. l. tab. CIX (Inghir. l. l. Ser. VI, tab. Q 2. Raoul-Rochett. Mon. ined. tab. XXIX, n. 1).

156) Loca purgatoria etiam antiquis temporibus,

Cuncta igitur Charontis Etrusci munera, quae quidem hactenus sumus contemplati, sane ad famulum quendam Ditis pertinent. Vidimus eum alias circa claustra Orci versantem, alias eo tendentem, alias intra ipsa inferorum limina qua psychopompi qua ultoris inferni vicibus fungentem. Atque eam ob causam consociatum eum invenimus aliis etiam, iisque ex parte similibus, daemonibus, qui defunctorum animas sive deducunt, sive deductas illic infernis afficiunt cruciamentis. Etenim id quoque intelleximus, Charontem nonnullis in argumentis non solum cum Dea fatali vel Leto coniunctum esse, verum etiam interdum partes suas eum iis participare.

Ea si recte observavimus, vix dubium erit, quid sibi velit daemonis nostri species in nonnullis monumentis, ubi eum non tam argumentis funereis, quam bellatoribus dimicantibus insertum videmus. Sicuti enim alias in eiusmodi argumentis militibus moribundis Deae fatales apparere solent, ita interdum in anaglyphis Clusinis Charon, sive solus [157]) sive aliis letiferis daemonibus coniunctus [158]), commode prodit, quum victor in eo est, ut hostem iam prostratum trucidet.

Charontem autem esse daemonem istum, non est quod dubites. Nam, licet forma eius omnino in ossariis Clusinis minus terribilis atque efferata appareat, quippe cui, sub imagine viri imberbis figurato, tum aures ferinae tum nasus aduncus prorsus soleant abesse, tamen vel malleus, quem in his quoque anaglyphis gestat vibratque, satis indicat, etiam hic Charontem partes agere. Huc autem insuper accedit, quod eum in altera vasis Beugnotiani pictura, et ibi quidem teterrima praeditum specie, prorsus consimili interesse actioni videmus. Quibus in argumentis quid sibi velit, tum ex illis videtur elucere anaglyphis, quae Deas fatales sive Letum moribundis caedendisve adstantes exhibent [159]), tum potissimum ex ipso Charontis gestu atque habitu. Nimirum, sicuti *Θάνατος* et *Κὴρ* Graecorum, ita Charon in eiusmodi argumentis is est, quo auctore et adiutore, nex a mortali quopiam capiti mortali intentata, demum efficax evadat, animaque a corpore ictu letifero seiuncta, ad domicilia umbrarum perveniat.

Inde terribilis ille et singularis eius habitus, dum fronte adducta, oculis scintillantibus, exsertis rictu dentibus, malleum sublatum vibrans, tanquam ipse trucidandam trucidaturus victimam, bellatoribus exspirantibus adest. Neque abhorret ab hac cogitatione,

sicuti hodie Romae atque alibi, crebro picta fuisse et spectata, docet Plaut. Capt. V, 4, 1:

Vidi ego multa saepe picta, quae Acheronti fierent
Cruciamenta; verum enim vero nulla adaeque est
Acheruns
Atque ubi ego fui in lapicidinis.

Neque dubito, quum talium argumentorum inter opera pictorum celebrium tam rara fiat mentio, quin artifices, qui istiusmodi picturis conficiendis vitam tolerarent, plerumque eiusdem fuerint generis atque illi, qui hodie paucis obolis eadem tractant argumenta.

157) Mus. Clus. tab. XXVII (Mical. l. l. tab. LIX, n. 5). Charontem ibi agnoscunt et Inghiramius (ad tab. laud. p. 28) et Micalius (hist. Ital. tom. III, p. 99).

158) Mus. Clus. tab. CXCII. Etiam Inghiramius Charontem agnoscit (l. l. p. 186), alteramque figuram esse Furiam, i. e. Deam fatalem, recte indicat, quam quidem in Volaterrano quoque anaglypho (Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tab. XXVII) Charonti consociatam invenimus.

159) Inghir. l. l. Ser. I, tabb. LXX; LXXIV. Mus. Clus. tabb. XLIII; LXXVII; CLXXXIX. Cf. sopra annot. 84.

quae talibus Charontis imaginibus videtur subesse, quod alias idem daemon equum, non interficiendi quidem militis, sed interficientis, frenis arripiens est conspicuus[160]). Nempe adducto a Charonte **victoris** interfectorisque equo artifex sane innuit, vel potuit saltem innuere, daemonem esse, qui caedentem invet atque subornet letiferamque plagam acceleret. Itaque non mirum est, quod in consimili prorsus argumento caedentis caesique bellatoris, Charonte omisso, militi vulnerato solita adstat Dea fatalis[161]); id quod denuo probat, Deam fatalem et Charontem promiscue adhibitos fuisse ab artificibus[162]).

Iam monumenta, quae hactenus percensuimus, si artem spectas, certe omnia ex Etruscis emanaverunt officinis; sin argumenta: iam nunc sublucere credo, nonnullos Graecorum fontium rivulos in iis emergere, quos etiam melius sentiremus, nisi scalprum et penicillum Etruscorum, non dicam artificum, sed operarum provincialium, eos paullulum turbasset. Quapropter non tam mero monumentorum conferendorum studio, quam interna quadam artis et ingenii natura adducti, arcte censemus cum illis coniungenda ea quoque opera, quorum argumenta aperte ex fabulis Graecorum esse repetita, nemo negabit. Dico enim vas Beugnotianum atque urnam Volaterranam[163]), in cuius fronte nota Orestiadis momenta conspiciuntur. Cuiusmodi operum numerus quamvis adhuc sit perexiguus, tamen in iis veluti summa munerum apparet, quibus in serie monumentorum, quae hucusque perlustravimus, Charon Etruscus videtur fungi.

Quamquam enim minime est in promtu, ex monumentis literatis, quae quidem hodie exstant, satis diiudicare, qualis poetarum locus artifici in pingendis vasis Beugnotiani argumentis obversatus fuerit[164]), tamen haud seque dubium videtur esse, quid muneris Charonti sit tribuendum, qui in utraque vasis parte, qua Aiaci Telemonio qua Penthesileae adstans, comparet.

160) Mus. Clus. tab. CXCII.

161) Ibid. tab. XLIII.

162) Vid. supra annot. 72.

163) Mon. I. A. II, tab. IX, A. Mical. l. l. tab. CIX (Inghir. Mon. Etr. Ser. VI, tab. Q 2. Raoul-Rochett. Mon. ined. tab. XXIX, n. 1).

164) Raoul-Rochett. in Annal. I. A. tom. VI, p. 294. Neque tamen dubitaverim, quin huius saltem picturae argumentum e nota Cyclicorum traditione, a poeta quopiam leviter mutata, explicari possit. Inter varios mythos, qui ad furorem obitumque Aiacis Telamonii pertinent, is quoque a Cyclicis disseminatus commemoratur, quo usus Quintus Smyrnaeus narrat, exortae Aiacem inter et Ulyssem litis, auctore Nestore, Troianos captivos fuisse arbitros; Aiacem autem, causa perdita, postquam subito abreptus furore greges Achaeorum trucidasset, violentam sibi attulisse mortem. (Cf. omnino Lobeck. ad Sophocl. Aiac. v. 283. 862.) Vide igitur ne non sit incredibile, tragicum quendam sive mimographum eodem argumento ita esse usum, ut trucidandis ab Aiace Achaeorum gregibus Troianos captivos substituerit, a quibus, quum ipsorum arbitrio Aiacis causa cecidisset, heros furibundus poenas perditae litis repeteret. Facillima sane haec argumenti mutatio fuit, quum fama antiqua ipsa innueret, principes Achaeorum, Troianis captivis factis arbitris, culpam iudicii iniqui a se ad illos avertisse. Quid igitur facilius quam fingere, Aiacem, furore correptum, ipsos perditae causae auctores trucidasse? Hanc autem coniecturam videtur confirmare et figura hominis trucidandi, quem quidem re vera captivum esse tam corpus nudum quam manus post tergum religatae aperte produnt, et fortasse etiam altera vasis pictura, cuius argumentum est Penthesilea defuncta. Etenim Penthesileae mors haud dubie ad fata Troiae pereundae pertinet. Verisimile est igitur, pictorem in vase nostro duas composuisse scenas, quae ad unum idemque argumentum, i. e. ad interitum rei Troianae, spectarent.

In eo enim est Aiax, ut virum nudum, haud dubie captivum, qui, manibus post tergum religatis, genibus nititur, capillis arripiens, gladio trucidet. Victimae prope est Charon, sicuti in urna Clusina, malleum vibrans atque mirum in modum efferatus. Certe igitur etiam hac in pictura daemonem infernum et eum quidem inter vivos versantem cernimus, quo adiutore plaga letalis effectum habeat. Contra in aversa vasculi parte conspicua est Penthesilea et altera mulier[165]), ambae eo depictae modo, quo animarum formae ab artificibus antiquis solent adumbrari, id est, totum corpus peplo velatae; id quod, si alicubi, sane in amazone certissimum est indicium eius, quae, vita peracta, iam ad Orci claustra pervolaverit. Accedit, quod tertia mulier, collisis manibus et averso capite, nota tristitiae signa prae se fert[166]). Ante Penthesileam autem versatur Charon, vultu tranquillo, ut supra memoravimus[167]), malleoque, manubrio terrae impacto, incumbens, cum amazonis umbra placide videtur sermocinari. Quae quum ita se habeant, non possum, quin cum Raoul-Rochettio[168]) locum huius colloquii apud inferos esse iudicem. Imo, collata nostra pictura cum illis anaglyphis, in quibus Charontem ad Orci ianuam animis muliebribus adstantem vidimus[169]), dubito an satis sit verisimile, ex sententia pictoris, cui forsitan Mercurius inferus cum defunctis agens obversatus fuerit, daemonem in opere nostro psychopompi partes agere, qui cum deducta ad inferos amazone confabuletur. Quod autem ad Volaterranum attinet ossarium, in cuius fronte Charon una cum Furia, ex profundo emergens, parricidae exitialia arma minitatur: manifestum est, eum, sicuti et in aliis anaglyphis Volaterranis et in pictura sepulcrali[170]), tortorem prodire infernum. Elucet igitur, haec duo opera, ut ratione artis et officinae, ita natura atque ingenio daemonis Etrusci, qui in his quoque argumentis muneribus numinis letiferi et psychopompi et carnificis inferni fungitur, proxime accedere ad priora monumenta, ita ut, licet argumenta evaserint Graeca: ars, officina, Charontis figura atque indoles, prorsus Etruscum spirent ingenium.

Verum enimvero tam ab his monumentis quam a ceteris, quae hactenus examinavimus, mirum quantum recedit memorabilis illa pictura sepulcri Tarquiniensis, nuper detecta, ut quae omnino novum Charontis genus atque munus suppeditare videatur[171]). Cernimus enim in ea non unum Charontem, sed duos, eosque in speciem Afri Aethiopisve figuratos, ita ut, praeterquam quod auribus ferinis deturpantur, etiam labrosi collisoque naso deformes procedant. Accedit, quod uterque daemon uni eidemque pompae insertus est, unde quidem iure collegeris, spectare picturae argumentum ad actionem quandam funeream, sive feretrum prosequantur sive ad tumulum sint processuri. Verum quidquid tibi de pompa statuendum erit, id saltem est manifestum, daemones in hoc opere ex sententia pictoris non inter defunctos vel moribundos, sed adeo inter vivos

165) Eam, quum vestitus eius talis sit qualis Penthesileae, et ipsam esse amazonem, elucet.

166) Raoul-Rochettius commode laudat Christodor. ap. Brunck. Analectt. II, 465:
χεῖρας ὁμοπλεκέας, κρυφίης κήρυκας ἀνίης.

167) Vid. supra annot. 54.

168) l. l. p. 276: Il semble donc qu'on ne puisse se refuser à voir ici une scène, qui se passe dans l'enfer.

169) Vid. supra annot. 68.

170) Vid. supra annott. 124. 154.

171) Mon. I. A. II, tab. V. Cf. Ephem. I. A. an. 1832, p. 213. 1833, p. 34. 88, sq.

versari, ut una cum iis, tanquam domus funestae administri, iusta facturi videantur[172]). Quae quum ita se habeant, hoc opus, tum ipso argumento, tum daemonum numero atque forma prioribus monumentis satis absonum, a ceteris seiungendum putavi; neque hoc loco certi aliquid de eo expromere ausim, praesertim quum magna pars eximiae picturae, quod sane dolendum, iniquitate temporum perierit.

172) Aliter sentit Oriolius in Annal. I. A. tom. VI, p. 160 — 166. Summa enim interpretationis ab eo expositae ad haec redit:

„È una scena immaginaria, o un fatto il quale accade nel mondo invisibile delle ombre, come il dice, e l'intervento de' morti, i quali essi pure vi sono attori. Io l'intitolerei l'arrivo solenne, o almeno il viaggio al mondo infernale. — — Caronte colla moglie e col figlio, conduce alle regioni d'inferno una famiglia etrusca di cinque o di sei individui, accompagnati dalla musica del cornicine, da uno o da più araldi, da un augure sacerdote, e da cinque o sei portatori del sacro mistico ramo, che Proserpina esige."

Rationes, quibus adducti sententiam viri clarissimi minus probemus, hae fere sunt. Primum quidem ex solo habitu furiali tam figurae pompam praecedentis quam Charontis utriusque, non colligi potest, eos re vera numina esse infera, quum ex locis ab Oriolio laudatis (Flor. I, 12. Frontin. Strateg. II, 4, 18, quas recte explicant Sigon. et Grut. ad Liv. VII, 17) satis constet, sacerdotes Etruscos, facibus armatos discoloribusque serpentum in modum vittis instructos, interdum personas daemonum inferorum induisse. Deinde non intelligo, quid cornicini, qui

signum luctus cornu grave mugit adunco,

cum umbrarum sit pompa. Imo equidem vel ex sola cornicinis figura collegerim, vivos esse homines, qui, duce eo, funus comitentur (Cf. Casp. Barth. ad Stat. Theb. VI, 120, sq.). Denique, quod caput est rei, nulla apparet causa, cur adolescentem illum, post quem Charon barbatus conspicitur, sive defunctum sive principalem esse figuram credamus. Nam anguis ille, qui in dextro adolescentis humero est conspicuus, non ad Charontis manum pertinet, sed haud dubie pars est pellis ferinae in pectore colligatae, qua daemonem nonnullis in monumentis indutum esse, supra indicavimus (Vid. supra annot. 29, 30.). Quod quum ita se habeat, neque adolescentem illum neque alteram figuram, quam alter Charon imberbis sequitur, in defunctorum numero licebit ponere. Imo quum forma utriusque daemonis ex habitu servorum Aethiopicorum sit repetenda, quos ad funebres Romanorum pompas adhibitos fuisse, infra docebimus (Vid. infra annot. 349—351), sane videtur apparere, nihil inesse picturae nostrae nisi funebrem pompam eamque Romanam; neque Charontem imberbem vinculo quodam cognationis cum barbato coniunctum esse, sed utramque personam ad unum eundemque daemonem mimicum spectare. Ceterum viro illustri, qui opus nostrum temporibus demum principum factum esse existimat (l. l. p. 164), ex intimi animi sententia assentior, praesertim quum admodum sit verisimile, servos Aethiopicos ante annum MCCXXVIII a. U. neque Romae neque per Italiam ita fuisse frequentes, quos vel artifices municipales depingerent. Vid. infra annot. 352.

CAPUT SECUNDUM.

DE CHARONTE GRAECO.

Habes monumenta, quibus figura, habitus, munera daemonis Etrusci nobis innotuerunt; quem vere ab Etruscis Charontem fuisse nominatum, iam antehac ex inscriptione urnae Volaterranae compertum erat. Id autem nomen ne suspiceris, ex libidine cuiuspiam artificis forte temere esse profectum, clara impedit inscriptio vasis Beugnotiani, nuper reperti in sepulcro Volcentino. Nam plane incredibile est, sculptorem Volaterranum et pictorem Volcentinum, artifices loco, genere artium, fortasse etiam aetate, prorsus disiunctos, ita conspirasse ad Graecum usurpandum nomen, nisi temporibus, quibus utrumque opus est factum, daemoni hoc nomen iam peculiare atque in multorum fuisset ore. Pro certo igitur id videtur statuendum: Charontis nomen, quum in diversis diversorum oppidorum monumentis sit obvium, non ex una alterave officina emanasse, sed latius per Etruriam usurpatum fuisse.

Iam nemo profecto erit, quin statim, eo nomine lecto, formam atque munus nautae Acherontici animo subiiciat. At quid daemoni Etrusco cum Graeco portitore? Nam licet uterque daemon id potissimum agere videatur, ut defunctorum animas qualicumque modo exceptas sedibus Orci inferat [173]), tamen quum oris corporisque habitu, tum modo atque loco, quo et ubi cum defunctis versantur, mirum quantum inter se differunt. Monumentis enim si aliqua est adhibenda fides, sane apparet, Etrusco daemoni non sola Ditis regna sive circumscriptum quoddam apud inferos munus adsignata esse, sed exit ad superas auras, vagatur inter vivos, praesens victimas caedit caesasque ad Orci claustra deducit. Quae omnia prorsus aliter in Graeco portitore, quem Mercurius Lucianeus merito ac iure miratur, aliquando, navicula relicta, huc evasisse, quum usque ad eum diem haud ita sese rebus superis immiscere sit solitus [174]).

Neque in monumentis artium Graecarum vel Romanarum ullam inveneris figuram, quam daemoni Etrusco vel e longinquo comparare queas. Graecus autem Charon in artificum operibus talis apparet, qualis ex mente poetarum antiquorum effingi debuit, id est, senex, morosus quidem et inferno quodam squalore obsitus, sed omnis turpitudinis ferinae omnino expers, qui, navicula remoque instructus, in eo est, ut animas horrenda flumina transportandas vel excipiat vel traductas ad ripas ulteriores dimittat [175]).

173) Inter Graecos Euripides, quantum sciam, primus Charonti epitheta νεκροπομπὸς et ψυχοπομπὸς tribuit, Alcest. v. 371. 452. Ed. Monk.

174) Lucian. Charon, init. I, p. 487.

175) Viscont. Mus. P. C. tom. IV, tab. XXXV. tom. V, tab. XVIII. Cf. Millin, theatr. mythol. tab. CLVI, n.

Verum enimvero eam Graeci portitoris imaginem atque provinciam haud scio an in monumentis Etruscis non magis deprehenderis quam daemonem Etruscum in operibus Graecis Romanisve. Imo, quod sane mirandum, inter tot millia vasorum pictorum, quae sine ullo dubio vel in officinis Graecis vel ad Graecanicam saltem fabricandi methodum facta, per hos annos ex sepulcretis Tarquiniensibus Volcentinisque sunt eruta, ne unum quidem, quantum equidem sciam, exstat, quod Charontis Graeci, nedum Etrusci, imaginem praebeat. Quod quale sit, facile intelligas, si tibi persuasum erit, opera illa Graeca sive Graecanica longe aetate antecedere ea, in quibus figura Charontis Etrusci conspicua est. Scilicet pictores illi vetustiores, sive vere Attici sive Campani sive utrorumque imitatores fuerunt, divina humanaque scite digneque exornando neque raro copulando, praeter argumenta domestica et gymnica, plerumque deos, heroes, eorumque res gestas pinxerunt; res funereas vel superstitiosas parce attigerunt[176]. Contra ars Apula et Lucana argumentis funereis et superstitiosis crebro utitur, iisque quodammodo luxuriatur; ad quam, si quidem universa quaedam argumentorum similitudo ad significandum artificum artificiorumque ingenium nonnihil valeat, vasa Etrusca sane propius videantur accedere quam ad figlina Graeca, quae cum ipsis ex iisdem sepulcretis effodiuntur. Sed ne in Apulis quidem vasis, quamvis rebus funereis abundent, ullam inveneris daemonis figuram, quam cum Charonte Etrusco vel ex parte conferre possis.

Itaque, quum Charon Etruscus et Graecus non modo forma, munere, actionis loco, inter se discrepent, verum etiam generibus et officinis artium ita sint disiuncti, ut neque Etrusco in operibus Graecis neque Graeco in Etruscis cedatur locus: non mirum est, quod viri docti, quamvis nomine psychopompi Etrusci certissima inscriptione indicato, nihilominus eum satis multiplicem atque polyonymum reddiderunt. Namque, ut priores illi antiquarii, quibus nondum Etrusci psychopompi nomen innotuerat, eum modo genium zelotypiae praesidem, modo deum Cabirum, modo Picumnum sive Pilumnum, vocitaverunt[177]), ita recentiores, ablegatis diis superis, merito evocavere inferos, voluntque dae-

561. Montefalc, antiquit. explic. tom. V, vol. I, tab. 124. Raoul-Rochett. Mon. ined. tab. XLII, A, n. 1.

176) Gerhardus iam ante hos sex annos in egregia de vasis Volcentinis relatione (Rapporto intorno i vasi Volcenti, Annal. I. A. tom. III, p. 40, 51) haec observavit: „Estraneo peraltro è da questi dipinti non solo l'Amore primigenio degli Orfici, e il moltiplicato sposo dell' Anima, noto dal Genio funebre de' bassirilievi romani, ma eziandio quello che ne' misteri apoli e lucani compariva come il Genio di Libera." — Et paulo infra (p. 51): „Da queste dipinture di scene della vita famigliare nulla poi si ricava intorno a tutto quanto si rapporta alla prima tenera età dell' uomo, all' educazione e all' ammissione nel ceto sociale; come ancora le cerimonie relative all' ultima umana vicenda, delle quali solo una (scilicet inter quattuor millia monumentorum) conobbi in eccezione di regola, rappresentante una processione funebre, che nella specialità del soggetto e della dipintura quasi più all' etrusco che al greco si accosta." — Neque in ditissimo Durandii thesauro amplius duo exstant vasa Volcentina; quorum argumenta ad res funereas pertinent; id quod nunc apparet ex egregia illius thesauri descriptione nuperrime edita, cuius titulus est: Description des antiquités et objets d'art qui composent le cabinet de feu M. le Chevalier E. Durand, par J. de Witte, Paris, 1836. Ubi vid. p. 196, n. 576 et 577.

177) Dempst. Etrur. reg. ad tab. XLIV; LXXXVIII. Gor. Mus. Etr. tom. I, p. 192. tom. II, p. 295; 337.

monem nostrum Mercurii inferi sive Orci sive Leti munere fungi[178]); quibus nominibus quam bene congruat, quod idem iisdem alias est Genius maleficus[179]) atque adeo Ophiuchus[180]) et Typhoni Aegyptio similis[181]), ipsi quidem viderint. Id saltem equidem videre mihi videor, illa nomina si cuncta in unum eundemque quadrent, vix unum eorum bene quadrare; sin unum alterumve, profecto mirandum esse, quod neque sculptor Volaterranus neque pictor Volcentinus eo ipso sit usus, sed Charontis potissimum nomen usurpaverit, quo certe nullus deorum daemonumque, quibus Tartara sunt curae, psychopompi Etrusci est dissimilior[182]).

Quod quum ita se habeat, aut actum est de nomine Charontis Etrusci, quod certissimis quidem inscriptionibus nobis est traditum, aut reiicienda sunt illa virorum doctorum commenta, quae, novum quaerendo nomen, antiquum atque monumentis probatum auferre videantur. Nec profecto nunc, post detectum daemonis nomen, id amplius agitur, cuinam numinum inferorum ille magis minusve similis credatur; sed alia prorsus exsistit quaestio eaque primaria atque gravissima, id est, quibus adducti rationibus Etrusci daemoni, qui portitori prorsus esse dissimilis videtur, Charontis potissimum nomen indiderint.

Nimirum id nomen quum non ab uno alterove artifice, sed ex consensu quodam gentium Etruscarum profectum esse constet, non est verisimile, temere fuisse usurpatum. Ergo debebat intercedere qualiscunque utriusque daemonis similitudo, qua animadversa, alterum alteri adsimilarent. Quaestio igitur est, quae et qualis fuerit ista similitudo; quam si deprehenderit aliquis, certe non solum erit manifestum, qua ratione Etrusci peregrino sint usi nomine, sed facilius etiam fortasse diiudicabitur, quid in quoque opere, Charontis Etrusci figura insignito, e Graecis emanaverit fontibus, quid ingenio Etrusco sive Italo adsignari debeat. Utriusque enim populi fabulas, superstitiones, mores, in ossariis Etruscorum crebro coniunctos esse et quodammodo commixtos, vel ex monumentis, quae hucusque attulimus, apparet.

Huic autem disputationi, quae tota est de forma atque natura utriusque daemonis, substruenda videtur tanquam fundamentum historia portitoris Graeci. Neque tamen in ea examinanda non sunt attingendi ceteri daemones inferi, quorum vicibus etiam Charon Etruscus fungi videatur. Fieri enim possit, ut is, quamvis unius duntaxat Graeci daemonis nomine insignitus, variorum provincias sustinuerit. Quapropter praeter Charontem ceteros quoque deos daemonesque recensebimus, qui ex sententia Graecorum moribundis defunctisque praesto sunt; quod si rite aliquis fecerit, fortasse elucebit,

178) Inghir. Mon. Etrusc. Ser. I, p. 66, sq; 168; 175.

179) Inghir. l. l. p. 60. Mical. Histor. Ital. III, p. 198, sq. Creuzer. Symbol. II, p. 869.

180) Inghir. l. l. p. 256; 284.

181) Inghir. l. l. p. 60; 175.

182) O. Muellerus, quo post Lanzium nemo in illustranda Etruscorum antiquitate et diligentior fuit et sagacior, omnes istiusmodi opiniones merito silentio praeteriit; neque suam ipsius sententiam, qua Charontem nostrum fortasse Manium esse, caute et dubitanter suspicatus erat, satis stabilitam ratus, iudicavit, talem daemonem non diis magnis adnumerandum, sed famulum Manti esse. Quem nunc quidem, nomine in ambiguo relicto, genium mortis (Todesgenius) appellat. Vid. Etrusc. II, p. 99, sq. Archaeol. §§. 174. 431. Mon. artt. antiq. fasc. V, tab. LXIII, n. 317. Ephem. Hall. a. 1835, n. 105, p. 212.

quomodo et Charon et ceteri, qui huc faciunt, inferi, labentibus seculis, tam formam quam naturam paulatim commutaverint et quodammodo in unum coaluerint.

Iam in Homeri et Hesiodi carminibus licet singulae tanquam scenae appareant, unde postea ampla inferorum spectacula conflata sunt[183]), tamen apud antiquissimos illos Graeci ingenii testes imago vitae ulterioris adeo simplex est atque nisi extremis lineis non adumbrata, ut neque ipsa regna inania neque dii daemonesque, quibus illorum est imperium, magnam sive locorum sive provinciarum varietatem prae se ferant. Causa autem huius simplicitatis non tam ex libidine quadam vel facultate poetarum, quam ex universo quodam illarum aetatum ingenio consensuque omnium videtur deducenda esse. Nondum enim tunc temporis hominum animis ea insederat opinio, qua postea, commoti altiori quadam et morali boni malique conscientia, arbitrabantur, fore ut in regnis subterraneis, constitutis virtuti praemiis, malitiae suppliciis, animae bonorum placidis beatisque gauderent domiciliis, improbi autem, quisque pro modo sceleris hic commissi, horrendis quibusdam cruciatibus aut lustrarentur aut in aeternum punirentur. Credebant quidem sane, nefanda crimina, veluti parricidia, periuria, scelera contra deos commissa, apud inferos severis lui suppliciis, atque Furias esse, quae et hic et illic[184]) sceleratos exagitarent. Verum enimvero levioribus quoque peccatis, quibus natura humana omnino est obnoxia, illic poenas irrogari, istiusmodi delictis iram deorum Manium accendi, eam hic anxie placandam esse, ne cruciamenta illa subirentur, denique distribui impios atque lustrari per varia purgationum loca, pios autem ab illis segregatos variis perfrui oblectamentis: haec et talia, unde postea tum publica mysteriorum solatia, tum, metu inferorum in dies crescente, multiplices superstitiones sunt exortae, iam aetate Homerica inter Graecos percrebruisse, certis quidem argumentis vix quisquam probaverit.

Antiquissimis igitur poetis ad regna Ditis magis exornanda atque amplificanda certe haudquaquam consilium et industria defuit, sed copia, quae in aetatis auctoritate posita fuisset, id est, imbuta illa rebus mysticis conscientia communis, quae subsequentibus seculis tot argumenta ad inferos pertinentia invicem et probavit et suppeditavit, ita ut posteriores quique poetae vacuas profundi Iovis domus magis magisque decorarent, variarent, exaedificarent. At Homero, ex communi aetatis sententia catervis animarum tam piarum quam impiarum in unum eundemque locum congregatis neque generibus infernorum sive oblectamentorum sive suppliciorum regionatim discretis: Homero igitur nulla sane aderat occasio atque ratio, qua in depingendis inferis aut multa variaque purgationum loca distingueret aut multiplices multiplicum daemonum provincias induceret.

Itaque tot figuras monstrorum et spectrorum, quibus in Orco temporibus posterioribus vel circumscripta munera vel domicilia saltem adsignata sunt, apud poetam frustra investigaveris[185]). Charontis neque nomen neque provinciam agnoscit; ne canis quidem Orci in describendis inferis mentionem facit, licet eum, ex antiquissimis fortasse

183) Vid. omnino Iacob. Lex. myth. Graec. et Rom. II, 364, sq.

184) Hom. Il. XIX, 259; cf. III, 278.

185) Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 302.

Heracleis, bene cognitum haberet[186]. Nimirum ex sententia Homeri neutri eorum in regnis inferis satis aptus erat locus. Nam, vita amissa, animae vel sua sponte vel a Mercurio deductae, statim, nullo daemone interposito, ad Orci claustra perveniunt[187]. Ea autem non canis quidem sive aliud monstrum, sed aut inferorum arbiter[188]) aut umbrae ipsae[189]) aut omnino nullus[190]) videtur custodire. Adde, quod Homerus ne Leto quidem provinciam daemonis vere letiferi aut psychagogi impertit. Ubi enim Soporis consanguineus procedit, id quod perraro accidit[191]), placidissimo sane munere fungitur, mortuorum non animas curans, sed corpora. Imo, qui ex sententia posteriorum aetatum, sicuti omnes omnino inferni daemones, diis superis invisus est atque odiosus, is apud Homerum cum Apolline versatur eiusque mandata exsequitur.

Vides, opinor, ex Homeri sententia neque Charonti neque Cerbero neque Leto quidquam esse cum defunctorum animis. Nec aut Orcus ipse aut Mercurius corporibus vivis ullam saevam moriendi necessitatem imponunt; hic enim animas, iam fatali casu a corporibus separatas, minime terribilis deducit; ille, nunquam relicta domo profunda, nisi adductas regnis inferis non coercet neque appetit. Ea autem, quae sola, neque nisi Fatis aut diis maioribus iubentibus, mortalibus necem affert, Dea est exitialis (κὴρ), cuius forma et natura sane iam in Homero non multo mitior ea apparet, quam apud Hesiodum et in arca Cypseli depictam habes[192]). His expositis elucet, qua ratione in Orco Homerico in universum distributae sint partes deorum daemonumque, qui cum moribundis et defunctis versantur: Dea exitialis, quo tempore Fata aut Dii immortales vitam humanam abruptam voluerint[193]), homines opprimit; Mercurius animas deducit; deductis Dis et Proserpina dominantur, eorumque iussu Furiae periuros cruciant[194]). Terriculamentorum autem, quibus regna subterranea aetatibus posterioribus abundant, Homerus, excepto capite Gorgonio, nullum agnoscit[195]). Tantum igitur abest, ut Charontis nomen, forma, munus, inter Graecos iam ante Homerum carminibus celebrata fuerint[196]), ut in poeta et sane multo post nullum prorsus eius vestigium invenias. Nec

186) Utcunque saltem locus (Il. VIII, 368. Od. XI, 623) ad anagogen spectat; at Homero canem infernum non Orci ianitorem esse, viri docti iam observaverunt.

187) Od. XI, 63. XXIV, 9, sq. Raro deae exitiales animas ad Orcum deducunt. Od. XIV, 207.

188) Id sane ex epitheto Ditis πυλάρτης colligeris. Hom. Il. VIII, 367. Cf. Paus. V, 20, 1. Orph. H. XVII, 4.

189) Il. XXIII, 72:

θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.
τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν.

190) Anima Elpenoris, quamvis cadavere eius nondum sepulto, tamen in numero umbrarum recepta est. Od. XI, 50.

191) Il. XVI, 672, sq. Cf. XIV, 231. Aliter sentit Raoul-Rochett. Mon. ined. p. 216, sq.

192) Il. XVIII, 535 sq. Hesiod. Scut. 249. Paus. V, 19, 1.

193) Il. XXIV, 209; XXIII, 79; XXII, 303; nam cuique, quum nascitur, sua mors sive dea exitialis a Parcis praefinitur.

194) Furias ex sententia Homeri non iniussu Ditis ac Proserpinae poenas exercere, veteres interpretes indicant ad Il. IX, 457: πῶς ὁ μὲν εὔχεται ταῖς Ἐρινύσι, τὰς δὲ εὐχὰς αὐτῷ ἐκτελεῖ Ἅδης καὶ Περσεφόνη; ὅτι αὐτοκράτορες τῶν τιμωριῶν ὄντες τὴν τοῦ κολάζειν ἐξουσίαν τοῖς ἄλλοις δαίμοσι παρέχονται. Cf. Schol. ad l. l. 569, 571, ac praeterea ad Il. III, 279.

195) Od. XI, 634.

196) Ita enim sentit Viscont. Mus. P. C. tom. IV, tab. XXXV, p. 259.

maiori probabilitate ullus Homeri locus, ubi Leti, Mercurii, Ditis, Parcarum, Furiarum, Dearum exitialium, fit mentio, ad Charontem Etruscum vel ad Furias, quas vocant, iure videtur referri. Nam Deae exitiales opprimunt quidem mortales, sed perraro deducunt animas [197]), nec usquam excruciant; Letum neque interimit neque deducit; Mercurius, qui deducit, non interficit; Dis nunquam Orco excedit; Parcis ex sententia Homeri nihil cum defunctis; neque Furiae nisi in sceleratos imperia exercent. Quae omnia daemonibus Etruscis haud bene congruunt [198]).

197) Od. XI, 207:
ἀλλ' ἤτοι τὸν κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι
εἰς Ἀΐδαο δόμους.

198) Quemadmodum Charon Etruscus triplici videtur munere fungi, ita Deae illae exitiales, quas vulgo Furias vocant, in multis monumentis agunt partes, quae Deabus ultricibus minime conveniant, sed potius ad letiferas quasdam Deas (Todesgöttinnen) pertineant, quae, necatis hominibus, animas ad Orci claustra deducant (Vid. supra annot. 159, et Ackerblad. inscriptt. Graec. p. 16, annot. 1, ap. Inghir. Mon. Etr. Ser. I, p. 294). Cuiusmodi munus si solum his deabus esset obeundum, sane natura earum proxime ad *κῆρας* sive Mortes accederet. Etenim Mortibus poetae Latini easdem fere partes adsignant, quas *κῆρες* apud Homerum Hesiodumque neque non apud Apollonium et Quintum Smyrnaeum obtinent. (Apollon. Arg. I, 689. II, 115; 258. IV, 1485. Quint. Smyrn. I, 270; 308; 889. II, 13; 481; 508. III, 44; 613. V, 34; 599. VI, 427; 498. VIII, 139. Stat. Theb. I, 632. IV, 528, ubi vid. Casp. Barth. VIII, 24. 376, sq.) Neque tamen desunt monumenta, in quibus Deae illae letiferae simul officiis Furiarum Poenarumve videantur fungi. Etenim daemones, quae in anaglyphis picturisque sepulcralibus Etruscorum cum moribundis defunctisque agunt, non ubique vestitu, symbolis, toto corporum habitu, ita inter se distinctae sunt, ut, habita earum rerum ratione, certe dignoscas, quae sit Furia, quae Mors, quae Poena; praesertim quum eaedem species, secundum utriusque artis ingenium, aliter in anaglyphis aliter in picturis videantur expressae. Volunt, v. c., deas illas, quarum vestes decussatis in pectore loris sustinentur, Furias esse, neque negari potest, Furias eodem amictu vestitas crebro in vasis Apulis comparere. At sexcenta exstant monumenta, quibus itidem demonstrari possit, simillimas illis figuras nihil aliud agere quam ut moribundis adstent aut defunctos deducant; unde sane collegeris, eiusmodi deas proxime ad *κῆρας* sive Mortes accedere. Contra in picturis sepulcralibus, ut vidimus, prodeunt deae, quae, quamvis vestitu, armis, habitu, prorsus ab Furiis illis, quas vocant, videantur recedere, tamen aperte munera furialia exercent (vid. supra annott. 143, sq.).

Quocirca aut cum Ackerbladio iudicandum est, ampliorem quandam atque mixtam naturam provinciamque infernis illis Etruscorum deabus inesse, sicuti Charonti, ita ut in ipsis ingeniis Furiarum et Mortium et Poenarum quodammodo coniuncta appareant; aut imagines ultrices ac letiferas paulo accuratius sunt secernendae quam adhuc a viris doctis videtur factum esse. Fortasse artificibus Etruscis crebro una tam Furiae et *κῆρες* Homericae quam *κῆρες νηλεόποινοι* sint obversatae,

αἵτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσαι
οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο,
πρίν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅστις ἁμάρτῃ.

(Hesiod. Theog. 217, sq. Cf. Aeschyl. S. c. Theb. 1053. Minus videtur huc pertinere locus Apollon. Arg. IV, 1665). Quae coniectura si probetur, facile saltem appareat, cur Deae tam letiferae quam ultrices in monumentis Etruscis crebro eodem vestitu iisdemque armis, i. e. gladiis facibusve, instructae conspiciantur. Namque eaedem daemones, per se neque bonae neque malae, hominibus piis exitiales duntaxat sunt deae, impiis autem non solum exitiales, verum etiam ultrices. Sed ab his videntur seiungendae illae deae, quae, tormentis armatae atque daemonibus virilibus consociatae, animas nocentes in locis purgatoriis excruciant. Iis enim, quum toto habitu a deabus letiferis recedant, haud scio an Poenarum numen satis commode competat. Cuiusmodi distinctione admissa, inter famulas Ditis, quae in monumentis Etruscis comparent, discernendae erunt Furiae et Poenae et Deae fatales eaedemque ultrices. Ad quas fortasse etiam Parcae acce-

Hesiodus porro, qui in universum imaginem vitae alterius ab Homero adumbratam videtur retinere, tamen, ut theologus altiori quadam contemplatione divinae rerum administrationis commotus, quemadmodum Iovi ingenium summo mundi arbitro conveniens praestat[199]), ita deorum inferorum naturas, partim mitigans partim exasperans, non tam immutavit quam amplificavit. Non amplius Dis est poetae immitis ille regni profundi dominus, sed idem, precibus agricolarum propitiatus, foecunditati agrorum frugumque proventui favet[200]), atque ita similitudine quadam provinciae Mercurio adsimilatur, cui ab antiquissimis inde temporibus et ipsi gregum agrorumque fructus erant curae[201]).

Contra et Cerberi et Leti naturam atque munera poeta non solum exasperat, verum etiam, addita certa sede, accurate circumcribit. Ille enim, quinquaginta[202]) capitibus terribilis, limina regis inferni ianitor servat, intrantes quidem animas adulans, exire autem ausas mordicus tenens. Nec procul ab hoc domicilia sunt Soporis ac Leti, cui ex Hesiodi sententia sane saevum est ingenium. Nam, invisus etiam diis immortalibus, homines persequitur atque arreptos secum ducit[203]). Manifestum igitur est, Hesiodum, ut theatrum inferorum paulo aliter atque Homerus instruxit, ita naturas atque munera deorum daemonumque partim amplificasse partim accuratius definisse, quippe qui primus mitiorem Ditis naturam significet, Letum et Cerberum in scenam producat eorumque partes certis limitibus circumscribat. At vero de Charonte eiusque munere ne verbum quidem, quamquam poeta, praesertim mentione Stygis satis luculenta illata, portitorem infernum, si vel fando ea aetate inter Graecos auditus erat, non potuit non commemorare in eo carmine, cui omnes omnino et religionis publicae, quae quidem tunc erat, et philosophiae cuiusdam naturalis imagines ita intexuit, ut eas, certis quibusdam genealogiae legibus ex communi rerum origine deductas, aeterna quadam mundi ordinatione connexas monstraret[204]). Quod quum ita se habeat, quis dubitet, quin iis sit adsentiendum, qui a priscis Graecis tam figuram quam provinciam Charontis prorsus abiudicandam esse censeant[205])? Hesiodi autem Letum, licet, si munus eius consi-

dent. Quattuor saltem famularum infernarum genera agnoscit Statius in Theb. VIII, 21:

Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitae;
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant Furiae circum, variaeque ex ordine Mortes,
Saevaque multisonas exercet Poena catenas;
Fata secant animas, et eodem pollice damnant.

199) Theog. 901, sq. Cf. fragm. ap. Clem. Alex. cohort. p. 63. Strom. V, p. 716; ap. Goettling. fragm. CLII. O. Muell. Prolеg. mytholog. p. 247. Brandis. Hist. philos. I, p. 88.

200) Opp. 463.

201) Schwenck. quaestt. etymolog. p. 122, sq. O. Muell. l. l. p. 333.

202) Theog. 312 et 769, sq. Tria capita, quae neque Homerus significat neque Hesiodus agnoscit, haud scio an Cerberus demum post Aegyptum Graecis reserratam acceperit. Haec enim Champollio narrat in epistt. ex Aegypt. XVII, p. 319: debout sur un socle, en avant du trône (scilicet Osiridis) le cerbère égyptien, monstre composé de trois natures diverses, le crocodile, le lion et l'hippopotame, ouvre sa large gueule et menace les ames coupables: son nom, Téouôm-ementi, signifie la dévoratrice de l'occident ou de l'enfer.

203) l. l. 764 sq. Opp. 154. Cf. Voss. Antisymb. I, p. 211.

204) Vid. omnino O. Muell. l. l. p. 373, 378 sq.

205) Eusthat. ad Il. X, v. 502, p. 1666: ὁ γὰρ πορθμεὺς Χάρων καὶ τὸ κατ' αὐτὸν πλοιάριον μεθ' Ὅμηρον μεμύθευται. Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 812.

deras, Etrusco daemoni non sit prorsus absimile, tamen non temere cum eo comparandum esse, vel inde elucet, quod letifer Graecorum daemon neque apud Hesiodum nec in ullo, quod extat, carmine Graeco tortoris inferni vicibus fungitur. Apparet igitur, ne ab Hesiodo quidem ullum depingi daemonem, quem, etiamsi munus solum, ne dicam formam, severe examinaveris, Charonti Etrusco adsimilare possis.

At audio dicentes: Quid tum? Damus, Charontis neque figuram neque provinciam antiquissimis Graecorum poetis notam fuisse; etiamne negabimus, hanc ipsam daemonis formam humanam officiumque ex aliquapiam Graecorum priscorum opinione emersisse? Quid enim? Si Charon portitor, mutata forma ferina in humanam, ex antiquissima Cerberi significatione profectus sit[206]? Non enim veri est dissimile, ipsum Ditis canem ex sententia antiquissimorum Graecorum fuisse eum, qui animas surreptas sub terram deduceret. Atqui ipsius Etrusci Charontis saeva facies, aures ferinae, munus letiferi psychopompi, nonne satis videntur significare, enatam esse atque repetendam Charontis imaginem e primigenia illa canis lupive forma ac provincia?

Haec sententia quam sit ingeniosa quamque collocata in altiori religionum Graecarum contemplatione, minime me fugit. Quis enim dubitet, quin, priusquam Graecorum communis pulchri venustique sensus diis daemonibusque humanam induisset formam, eamque secundum naturas atque mores personarum divinarum dissimilitudinibus aetatis ac sexus distinxisset, numina quaedam sub involucris formarum animalium a priscis Graeciae incolis mentibus informata fuerint atque ita culta[207]? Quis porro nesciat, eadem illa prisca priscorum nominum involucra, postquam humanae deorum effigies omnino sunt perfectae atque absolutae, partim in mythorum cognominumque ambages partim in symbola figuris divinis attributa abiisse? Nihilo tamen minus permulta sunt, quae ingeniosae illi sententiae haud leviter repugnare videantur.

Iam primum quidem, etsi legi de informatis sub involucris animalium numinibus minime obrogatum velim, tamen plurimum videtur interesse, quatenus et ad quales deorum formationes ea lex extendatur. Nam fuisse aetates, quibus numina sub symbolis animalium colerentur, subsequutas esse alias, quibus sensim sensimque humanam induerent speciem, postremo illas, quibus humana deorum natura atque mores omnino, et poetis et artificibus adiuvantibus, perfecti sint atque communi populi consensu stabiliti: id quidem a verisimilitudine haud ita videtur recedere. At vero inter Graecos una eademque aetate alios deos sub specie humana cultos, alios sub ferina, alios inter utrumque figurarum genus tanquam fluctuasse: id saltem, opinor, difficile est ad probandum. E contrario, quum ex Homero Hesiodoque satis superque constet, aetatibus ipsorum humanam deorum daemonumque formam ac naturam non solum hic illic percrebruisse, verum etiam communi omnium conscientia consensuque prorsus fuisse acceptam atque corroboratam, nonne necesse est statuamus, illa tempora, quibus prisca ani-

206) Schwenck. quaestt. etymolog. p. 137, sq. Cf. Raoul-Rochett. Mon. ined. p. 179.

207) Vid. omnino O. Muell. Proleg. mytholog. p. 202, sq. et ibid. p. 75.

malium symbola humanis deorum figuris cesserint, antecedere saltem Homeri, nedum Hesiodi, aetatem[208]).

Atqui Ditis canem Homerus novit, Hesiodus nomine, munere, certa sede ac forma praeditum induit; Charontem eiusque officium neuter agnoscit. Ergone portitorem ex antiquissima Cerberi notione post Hesiodi demum aetatem enatum volumus? Sed ponamus, priscum illum animarum raptorem posterioribus demum temporibus in Charontem esse conversum. Quo tandem modo fieri potuit, ut hic demptam Cerbero provinciam nihilo magis acciperet, Orci claustris inclusus degeret; psychopompi partes Mercurio, Diti, Leto concederet? At enim in ossariis Etruscorum Charon letiferi psychagogi partes agit. Sane quidem, atque adeo carnificis inferni; sed ob ea ipsa Etrusci daemonis munera sententiam doctissimi viri probari posse negaverim. Nam qui formam et officium Charontis sive Etrusci sive Graeci ex antiquissima Cerberi notione repetere volet, is primum omnium argumentis, non ex ipsius Charontis figura petitis, evincere debet, Cerbero vere fuisse quondam munus illud animarum surripiendarum. Quo facto, altera succedit postulatio, ut probetur, imaginem atque officia Etrusci daemonis non solum nota fuisse inter Graecos, verum etiam ex ingenio religionum Graecarum emanasse, et id quidem iam septimo seculo ante Christum natum. Namque, ut infra apparebit, sub ea tempora nominis atque formae munerisque nautae Acherontici inter Graecos prima fit mentio; atque e Schwenckii sententia figura provinciaque Etrusci daemonis etiam antiquior portitore Graeco ducenda esset, ut quae, sive ferinum adspectum sive saevum officium consideras, vestigia originis suae, id est, canis inferni, certe melius servasset quam mitior profundi lacus senex. Igitur, qui e forma officioque Etrusci daemonis colligat, Charontis imaginem esse e notione Cerberi enatam, non solum ponit, Etruscum Charontem iam perantiquis temporibus ex aliquapiam Graecorum religione emersisse, verum etiam, tanquam intermediam quandam personam, in quam conversus Ditis canis sensim evaserit nauta, longe aetate antecessisse Acherontis portitorem. Atqui aut Cerberum unquam animarum fuisse raptorem, aut daemonem Etruscum Graecis antiquissimis innotuisse, nedum ex ipsorum ingenio emanasse, id vereor, ne nullo modo probari queat. Quid enim? Iam supra vidimus, Charontis Etrusci neque notitiam neque imaginem in ullo Graecorum Romanorumve monumento extare. Vidimus praeterea, Charontis Graeci nomen, munus, figuram, post Hesiodi demum aetatem Graecis innotuisse. Videmus denique, apud omnes, qui post Hesiodum usque sub mediam fere comoediam regna infera attingant, nisi unius portitoris, nullius Charontis mentionem fieri. Nonne igitur miraculi instar foret, si Etrusca Charontis imago iam priscis innotuisset Graecis, eam in amplissimo monumentorum Graecorum Romanorumque ambitu nusquam conspici, nusquam a scriptoribus antiquioribus commemorari?

At enim dixerint forsitan docti quidam viri[209]): opera illa, quibus figura Etrusci

208) Origines cognominum, quae, veluti *βοῶπις*, *γλαυκῶπις*, alia, ad prisca deorum involucra videntur referenda, quaerendas esse multo ante Homerum, ut qui iisdem primigeniae eorum significationis nescius utatur, O. Muellerus l. l. significat.

209) Sunt, qui vasa picta in agris Etruscis eru-

Charontis nobis est servata, longe ante exortas exoriendasque Graecorum religiones exstiterunt. Scilicet fuerunt quondam Pelasgi et Lydi, veri illi magistri artium liberalium, quorum opera et Italia et Graecia excoleretur. Quorum officinis si recte nostra adsignarentur monumenta, sane aut actum esset de omni interpretatione talium operum aut dicendum foret, antiquissimam illam et genuinam Charontis imaginem ita remotis exstitisse temporibus, ut eius memoria inter Graecos longe ante Homerum evanuerit.

Sed quis est, qui amplius in miris illis commentis aliquid ponderis collocet, postquam Boeckhius, Bunsenius, Gerhardus, O. Muellerus, Panofka, Welckerus, alii, egregie docuerunt, vasorum in agris Etruscis erutorum etiam illa, quae remotissimae antiquitatis speciem praebeant, non dicam Graecis, sed adultis iam atque floridis Graecorum artibus deberi[210]). Quod autem in vasa illa perantiqua convenit, id multo magis valet quum in figlina Charontis imaginibus insignita, tum vero omnino in cuncta monumenta, quae eiusdem daemonis formam officiumque exhibeant. Nam, quod iam supra ex universo quodam argumentorum ingenio et colore collegimus: accedere picta Etruscorum figlina propius ad vasa Apula Lucanaque quam ad Graecanica, quae ex sepulcretis Volcentinis effodiantur: id mirifice confirmatur artificiali operum ratione; quae profecto talis est, ut nemo, qui tersis ea oculis intueatur, dubitare queat, quin vasa illa Etrusca, licet artifices tam argumenta quam fabricandi methodum Graecorum sint aemulati, tamen, sive fabricationem sive picturae elegantiam in examen vocaveris, longe sint inferiora non modo vasis Volcentinis et Nolanis, verum etiam Apulis Lucanisque; ita tamen, ut vasa Apula a Nolanis Volcentinisque multo minori distent intervallo quam Etrusca ab Apulis[211]). Elucet igitur, eadem illa vasa Etrusca, quae Charontis imagines praebeant, non prius exstitisse quam artes Graecae et excultae fuissent et diu per Italiam floruissent. Nihil ergo, credo, Pelasgis cum figlinis Etruscis. Quanta autem similitudo inter Etruscorum vasa picta et ossariorum anaglypha intercedat, viri docti iam observaverunt[212]). Nimirum conspirant inter se non solum universo artis et styli inge-

ta temporibus Pelasgorum Lydorumve facta esse contendunt. Quorum miris opinionibus sane miror, quod etiam Fea ex parte saltem adstipulatur in libello, qui inscriptus est: Storia dei vasi fittili dipinti che da 4 anni si trovano nello stato ecclesiastico in quella parte che è nell' antica Etruria colla relazione della colonia Lidia che li fece per più secoli prima del dominio dei Romani. Roma 1832.

Facta enim sunt illa vasa ex sententia viri clarissimi seculis illis, quae Tyrrheni Lydi et Tarquinii Prisci aetatibus interiacent. Vid. potissimum §§. 30; 38; 41; 43.

210) Vid. imprimis Gerhard. in relat. de vas. Volcent. Annal. I. A. III, p. 99, sq. O. Muell. de origine pictorum vasorum, quae per hos annos in Etruriae agris, quae olim Volcientes tenuere, effossa sunt. Commentt. Gott. rec. tom. VII, p. 94, sq. Bunsen. de statu praesenti operum nonnullorum ab Instituto archaeologico susceptorum. Annal. I. A. VI, p. 40, sq. Quibus nunc addas sententiam O. Muelleri, quam proposuit in Ephem. Hall. a. 1835, n. 104, p. 205, sq.

211) Vid. de picturis vasorum Etruscorum Gerhard. l. l. p. 30. Mus. Reg. Mus. Berol. nov. acquis. p. 48. Raoul-Rochett. in Annal. I. A. VI. p. 265.

212) O. Muell. Ephem. Hall. l. l. n. 105. p. 212. Bunsen. l. l. p. 36. Gerhard l. l. p. 45. ita de pictura vasis Etrusci iudicat: Obwohl die Zeichnung desselben von vieler Fertigkeit und hinlänglichem Verständnisse zeugt, so erinnert sie doch an die gefühllose Plumpheit etruscischer Steinarbeiten, und in noch höherem Grade unterscheidet sich seine in Figuren und Firniss blasse Färbung, einer hinlänglichen Feinheit des Thons ungeachtet, von den ähnlichen

nio, verum etiam argumentorum similitudine; quandoquidem, ne aliena afferam, Charon tam solitarius quam argumentis Etruscis Graecisque immixtus, in utrisque est conspicuus. Unde sane iure collegeris, ea saltem ossaria, quorum anaglypha Charontem exhibeant, haud longo temporum intervallo distare ab operibus figlinis, quae eadem sint figura exornata. Exstiterunt igitur et ipsa longe post introductas in Italiam artes Graecorum, imo nulla prorsus ratio videtur subesse, cur talia monumenta multo ante sextum vel septimum Urbis seculum facta esse credamus[213]).

Actum ergo est de Charonte Pelasgo, atque oportet statuamus, et Charontis nostri imaginem, tum Graecis tum Romanis ignotam, Etruscorum fuisse propriam videri, neque opera, in quibus ea conspiciatur, ita remotis antiquitatis temporibus adsignanda esse. Quod quum ita sit, aut daemonem Etruscum aut Graecum portitorem ex antiquissima Cerberi notione enatum esse, ne tum quidem foret verisimile, si certissimis constaret argumentis, Ditis canem animarum quondam raptorem fuisse.

Charon autem, qui longe post Cerberum in scenam theatri inferni prodiit, apud antiquiores saltem poetas nulla figurae feritate, nulla muneris atrocitate, insignitus est; neque antiquior ista daemonis natura atque imago multo ante comoediam mediam videtur esse immutata. Prima enim eius et nominis et muneris mentio in noto fit fragmento Minyadis[214]), quo in carmine, sicuti in Odyssea et *Νόστοις*, varia inferorum argumenta ita erant contexta, ut etiam singula singulorum tormenta, veluti Thamyridis, Amphionis, aliorum, depingereutur[215]). Eiusdem carminis auctor, ubi de descensu Thesei et Pirithoi egerat, etiam *νέα νεκυάμβατον* et Charontem, senem portitorem, commemoravit; atque idem argumentum Polygnotus, siquidem Pausanias recte suspicatur, auctorem Minyadis sequutus, inter picturas leseches Delphicae, quae ad Ulissis descensum pertinebant, expresserat. Conspicuus ibi erat Acheron, et in eo navicula, umbris onusta actaque a Charonte, quem Polygnotus et ipse natu grandiorem et ad remos pinxerat. Praeter haec nihil addit Pausanias, unde colligi possit, Charonti vel a poeta vel a pictore terribilem quandam faciem naturamve tributam fuisse. Imo pro certo est habendum, portitorem neque in poemate neque in pictura ullo feritatis signo praeditum fuisse, quia accuratissimus chorographus aliter id eadem certe adnotasset diligentia, qua paulo infra Eurynomi figuram describit. Comparet igitur Charon in his antiquis monumentis talis, qualis etiam sero in sculpturis Romanis[216]) conspicitur, id est, senex nauta cum navicula, remis incumbens, qui in eo est, ut umbras Acherontem sive, ut apud posteriores poetas legitur, Cocytum transvehat. Neque poetae subsequuti imaginem daemonis

Erzeugnissen griechischer Töpferschulen. — Atque hoc iudicium sane in cuncta vasa Etrusca valet, quae quidem usque ad hunc diem nobis innotuerunt.

213) Ita de monumentis Etruscis, quae quidem propius ad stylum artium Graecarum Romanarumque accedant, iam Lanzius iudicavit. Ling. Etrusc. p. 105. Cf. ibid. p. 144; 148; 208. Ed. sec.

214) Paus. X, 28, 1: *ἔστι γὰρ δὴ ἐν τῇ Μινυάδι ἐς Θησέα ἔχοντα καὶ Πειρίθουν·*

Ἔνθ' ἤτοι νέα μὲν νεκυάμβατον, ἣν ὁ γεραιὸς πορθμεὺς ἦγε Χάρων, οὐκ ἔλλαβον ἔνδοθεν ὅρμου.

De natura atque principali eius carminis argumento nunc adeas Welckerum in Mus. Rhenan. Supplem. I, p. 253, sq. Annott. 405; 417.

215) Welcker. l. l. p. 258, sq.

216) Vid. supra annot. 187.

terribiliorem reddunt; ne Aristophanes quidem, licet is regna infera satis horrenda monstrisque cuiuslibet generis ac numeri referta inducat[217]). Omnibus antiquioribus scriptoribus Charon nihil aliud est quam senex portitor, morosus quidem ac durus, sed feritatis omnis omnino expers, atque horrendo munere locoque magis terribilis quam ipsa ipsius facie vel indole.

Sed hic forsitan aliquis interrogaverit, undenam ab auctore Minyadis formam proviaciamque Charontis adsumptam arbitremur, quum statuerimus, eam antiquissimis Graecorum poetis plane fuisse incognitam. Scilicet potuisse fieri, ut Charon portitor, in sacro quopiam atque locali mytho partes habuisset, neque ab Homero Hesiodoque aut cognitus fuisset aut receptus in regna infera ab utroque adumbrata. Sane id fieri potuit; quandoquidem haud facile est ad negandum, fabulas quasdam veterum Graecorum e priscis religionibus potuisse multo prius emergere ac diu intra adyta vel in longinquis provinciarum plagis latitare, quam poeta aliquis unam alteramve carminibus suis intextam publici iuris fecerit[218]).

Porro, si semel inde ab Homero homines credebant, esse infernos lacus fluminaque, atque tot alias res a consuetudine huius vitae ad inferna transferebant domicilia, quam facile erat, his aquis animisque illuc descendentibus etiam portitorem affingere, qui delapsas traduceret. Nonne igitur veri sit simile, auctorem Minyadis, quamvis Homerus et Hesiodus nautam Acheronticum silentio praeterierint, tamen e mytho quodam antiquiori ac proprio religionis cuiusplam sua delibasse commenta? Nonne eo ipso, quod figura atque officium Charontis inde a septimo saltem seculo inter Graecos pervulgata sunt, quodammodo videtur iadicari ac probari, imaginem eius daemonis non enatam esse ex unius poetae libidine, sed potius emersisse ex universo quodam alicuius gentis religionisve consensu atque ingenio?

Haec omnia primo adspectu non modo videntur satis esse speciosa, verum etiam ex parte saltem sunt vera. Nihilo tamen minus manifestum videtur, Charontem tam ante Hesiodum quam post Hesiodum genuinis ac propriis Graecorum religionibus semper fuisse alienum. Enimvero appäret noster daemon inter deos daemonesque Graecarum religionum imago prorsus solitaria et a ceteris disiuncta; nusquam colitur; nulli deo aut in sacris caerimoniis aut in mythis ad eas pertinentibus ita consociatur, ut eum cum religione numinis cuiuspiam arcte fuisse copulatum iure suspiceris. Etenim ne cum infernis quidem diis daemonibusve societate quadam sive stirpis communis sive sacrorum coniunctus videtur. Sophocles in loco gravissimo, ubi chorus veneranda Orci numina, Ditem, Proserpinam, Furias, Cerberum, solemniter invocat, quamvis opportunitate portitoris nominandi non solum oblata, sed etiam quodammodo urgente, Charontem ne verbo quidem attingit[219]). Imo, dum tot daemones monstraque inferna partim iam ab Hesiodo partim a subsequentibus poetis ad communes quasdam stirpium origines rediguntur iisque inter se tanquam gentilitate quadam coniunguntur, vix serior quisquam poeta portitorem infernum familiis gentium infernarum conatus est inserere[220]). At id profecto animad-

217) Aristoph. Ran. 138; 181, sq.
218) O. Mueller Proleg. mytholog. p. 128; 131.
219) Sophocl. Oedip. Col. 1549, sq. Ed. Reisig.
220) De Demogorgone, fabuloso illo Erebi patre, Charontis avo, vid. Heyn. Opusc. Academ. tom. III, p. 305, sq.

vertendum est atque mirum in eo populo, qui cum tanta ingenii et facilitate et facultate non solum imagines suarum ipsius religionum, easque summas et infimas, communibus genealogiarum ac mythorum vinculis amplecteretur, verum etiam sensim sensimque daemones exterarum gentium magnae illi numinum gentilitati adsereret.

Sed non amplius fortasse mirabimur, Charonti neque in priscis religionibus neque in genealogiis antiquioribus ullum esse locum, quum paulo accuratius investigaverimus, quales poetae unde daemonem nostrum in scenam inferorum produxerint. Credo equidem, fuisse eosdem, quorum opera memorandis illis seculis, quae aetatibus Hesiodi ac Pindari interiacent, universa Graecorum sententia atque conscientia de iustitia deorum, de divina mundi administratione, de futura animarum conditione, paulatim fuit immutata, amplificata, exculta. Exstitisse enim illis seculis inter Graecos viros, quos merito vocant theologos, qui, quemadmodum condendis cosmogoniis futurae quondam philosophiae naturalis semina spargebant, ita severa quadam et religiosa vitae contemplandae ratione mentes hominum imbuerent, eorumque mores, propositis lautioribus de natura divina humanaque sententiis, excolerent: id hodie quidem inter viros doctos videtur constare[221]. Progrediebantur Graeci illis temporibus a naturali ac simplice rerum intuitu ad qualemcumque moralem et naturae et animi intelligentiam, qua imbuti non poterant, quin iidem priscas illas de regnis inferis opiniones non tam abolerent, quam ad novas de animarum conditione sententias conformarent. Paulatim autem priscas de diis opiniones cessisse novis, neque mirabilem illum progressum aut repentinis quibusdam animorum motibus aut sola vi introductarum aliunde doctrinarum effectum fuisse, ipsa Graecae philosophiae primordia, quae haud dubie intermedium quendam locum inter naturalem ac poeticum rerum intuitum et rationalem naturae contemplationem obtineant[222], satis videntur probare. Gradatim igitur etiam sententias de futura animarum conditione esse immutatas, et ob id ipsum priscam regni inferni imaginem sensim novis coloribus ac figuris exornatam, quum vel inde elucet, quod cum sententiis de iustitia deorum divinaque mundi administratione opiniones de futuro statu animarum vinculo quodam morali ac necessario coniunctae sunt, tum vero iudicia, quae ab antiquissimis scriptoribus passim de conditione animarum feruntur, mirifice confirmant.

Qualis enim fuerit olim Graecorum opinio de futuro animarum statu, imago Orci, quam Homerus praebet, satis, ut opinor, declarat. Dis ipse, arbiter inferorum saevaque eius coniux, terribiles ei sunt dii[223]; regna eorum etiam magnanimis heroibus tristia atque detestabilia, quippe quae poenas quidem sceleratis quibusdam minitentur, praemia virtutis ne praeclaris quidem viris praebeant[224]. Nec ulla videntur exstare vestigia, unde iure colligas, ex sententia aetatis Homericae peccata mortalium ullo modo aut hic aut illic expiari posse[225]. Non credebant igitur illi homines, deberi piis animis

221) Vid. Voss. Antisymb. I, 193; 198; 214, sq. O. Muell. Proleg. mytholog. p. 387. Lobeck. Aglaoph. p. 313, sq. Brandis. Hist. philosoph. I. p. 89, sq.

222) O. Muell. l. l. p. 71; 99; 120. Brandis. l. l. p. 55, sq.

223) Il. VIII, 368; IX, 158; XX, 61, sq.

224) Il. XIII, 103. Od. XI, 488, sq. Cf. ibid. 93; 134; 217; 391; 542; 616. Voss. l. l. I. p. 206.

225) Voss. l. l. p. 215. Lobeck. Aglaoph. p.

a iustitia deorum in regnis infernis praemia, atque adeo impiorum scelera, certis caerimoniis rite casteque peractis, lustrari. Talis conscientia atque serena vitae futurae spes aetate Homerica nondum impleverat hominum mentes; neque, si qui post mortem meliora sequuti vel sequuturi videntur, id aut virtus ipsorum per se sola aut initiatio effecit, sed arbitrium dei alicuius, qui singulari beneficio unum alterumve mortalium tristi et communi omnium defunctorum conditioni eximeret[226]). At laetior vitae ulterioris spes haud dubie hominibus affulserat iam iis aetatibus, quibus tum credebant, etiam Iovem profundum precibus mitigatum mortalibus favere[227]), tum illae exstiterant opiniones, quibus vel magnos heroes post mortem in sedibus beatis placide degere vel animas hominum piorum, qui prioribus vixissent aetatibus, daemones terrestres ac propitios esse factos confiderent[228]). Profecto quibus talia erant persuasa, illi coeperant sperare, fore, ut bonis viris in vita ulteriori non male eveniret. Cuiusmodi sententiae nescio an mirifice iis conveniant theologis, qui Iovem, Fatis quondam obnoxium, tunc Fatorum, Gratiarum, Horarum, Musarum, genitorem, id est, ornatae mundi administrationis originem atque gubernatorem esse vellent[229]).

Sed quantopere omnes de statu animarum sententiae, universa Orci imago, subsequentibus immutari debebant aetatibus, quum homines credere coepissent: mortale corpus animae esse sepulcrum sive carcerem; inesse homini culpam, ipsamque corporis animique concretionem nihil aliud esse quam poenam peccati quondam commissi[230]); ergo neminem per se esse bonum piumque, neque laetioris illic conditionis fore participem, nisi diis rite propitiatis, quibus illius conditionis et dandae et negandae potestas esset[231]). Tales opiniones inter Graecos perantiquas fuisse, quum genuinae nonnullae Orphicorum sententiae indicant, tum hymnus Homericus in Cererem, qui sine dubio initiatis spem laetiorem vitae futurae protendit, satis probat. Huiusmodi autem opiniones non emanasse aut ex mera superstitione aut ex impia piave sacrificulorum fraude, sed re'vera fructum fuisse animorum, qui, moralem animi humani naturam praesagientes, paulatim ad sui conscientiam accederent: easdem progrediente humanitate, magis magisque excultas esse et ab optimis quibusque probatas, donec adulta philosophia commenta priscorum theologorum aboleret eaque — vacuas tunc cava sub imagine formas — plebeculae credenda permitteret: id maxime inde colligere mihi videor, quod Pindarus

253; 282; 303; 309, sq. Cf. tamen O. Muell. l. l. p. 354.

226) Od. IV, 561. Cf. Voss. l. l. p. 208.

227) Hesiod. Opp. 465.

228) l. l. 166, sq 121; 141. Cf. Goettling. ad l. l. 122. Brandis. l. l. I, p. 88, sq. Aliter de sententia Hesiodea sentit Voss. l. l. I, 209, licet idem et in Hesiodo vestigia mysteriorum agnoscat (ibid. p. 199; cf. Lobeck. l. l. p. 304; 308, sq.) et altiores de vita futura sententias iam aetate Hesiodea exstitisse concedat, l. l. p. 214; 231.

229) Vid. supra annot. 199.

230) Vid. O. Müll. Proleg. mytholog. p. 385. Boeckh. Philol. p. 178; 181, sq. Brandis. l. l. I, 88; 86, sq. Atque ibi Plat. Phaed. p. 62, B; Cratyl. p. 400, D; Gorg. p. 493, A. Praeterea Euxith. ap. Athen. IV, p. 157, C. Philol. ap. Clem. Alex. Strom. III, p. 433, A. Adde Lobeck. Aglaoph. p. 795, sq.

231) Hom. H. in Cer. 480, sq.

eiusque aequales, qua ingenii altitodine morumque candore iustitiam deorum divinamque rerum admioistrationem extollunt, eodem etiam discrimioa bonorum et malorum in altera vita, futura piorum praemia, impiorum supplicia, denique universam Orci imaginem, veram prae se ferentes fidem, depingunt[232]); simul ostendentes, aetate sua et receptas esse priormo theologorum sententias de conditione animarum et adanctas magisque excultas, quandoquidem homines, praemiis poenisque animabus, sicuti iam pridem, constitutis, tuoc temporis id quoque persuasum habebant, fore ot onimae piae, certo temporum orbe certisque expiationibus obsolutis, non modo sub terra beatam degerent vitam, verum etiam oliquando in deorum coelestium societatem reciperentur[233]).

Ex his pervetustis opinionibus videtur mihi recte colligi: tristem illam Homeri de animabus sententiam Hesiodi aetate iam cessisse paolo laetiori[234]); Hesiodeam autem a subsequentibus theologis exceptam, quo propios Graeci ad incunabola philosophiae accederent, eo magis excultam esse, donec imago vitae alterius, primordia philosophiae et antecedens et excipiens, ad id moralis altitudinis pervenerit, qualem in Pindaro eiusque aequalibus deprehendimus. Quemadmodum igitur theogoniae, ab initio exiguae et breves et ad singulo singularum religionum numina pertinentes, postea, cooiunctis sensim pluribus religionibus atque omnibus tam rerum quam deorum causis ex uno fonte repetitis, amplificatae[235]), tanquam antiquissimuo theologiae ac physiologiae systema, naturali quadam oecessitate origines philosophiae naturalis praecedebant[236]): ita ontiqui illi theologi, qui hanc vitam cum altera copulando primamque laetioris immortalitatis spem excitaodo, imaginem regni inferni meotibus informabant, eamque ab initio sane rudi exorsi, deinceps, fiducia iustitiae divinae sensim adaucta, laetiorem ac lautiorem reddebant: illi igitur theologi semina mihi videntur sparsisse, uode quondam, subnato religionis et rationis discidio, philosophia moralis pullulatura esset.

Nam quemadmodum priscae opiniones de origine et natura deorum non dogmatibus ferebantur[237]), quae nemo illis requirat aetatibus, quibus iogenia religionis et ratioois nondum discesseraot, sed involutae mythis, tunc temporis unica altioris cogitationis fonna, in mentibus coalescebantur: ita sententiae, quae erant de natura atque immortalitate animarum, non certis quibusdam placitis coosistebaot, sed potissimum erant positae in ea inferorum imagine, quam, praeeuntibus poetis theologicis, quaeque sibi aetas informaverat.

Itaque nihil est mirum, quod in ipsis mysteriis publicis, quae sine dubio ad vitam futuram pertinebant, nihil aliud quam deorum passiones, descensus, adscensus enarrabantur, per mimum agebantur, operte significabantur[238]). Nam in his rebus certe

232) Pindar. Ol. II, 62 (102); 74 (122). Fragm. thren. I. Pyth. XI, 20 (30). Cf. Boeckh. ad Pind. Ol. II, 75 (123); fragm. thren. IV. Brandis. l. l. I, p. 88. 91, sq. Aliter tamen sentit Lobeck. Aglaoph. p. 801, sq.

233) Pind. Ol. II, 75 (123). Fragm. X, 5, p. 623. Cf. Plat. Phaedr. p. 248, C.

234) Vid. Brandis. l. l. I, p. 88.

235) Vid. omnino O. Muell. Proleg. mytholog. p. 371, sq.

236) Brandis. l. l. I, p. 40; atque ibi Theophr. ap. Simplic. in Arist. Phys. 6.

237) Voss. Antisymb. I, p. 220. O. Muell. l. l. p. 78. Lobeck. l. l. p. 10, sq.

238) Lobeck. l. l. p. 37; 72; 118; 131; 144; 608; 697, sq.

summa opinionum, quas antiquitas de vita ulteriori conceperat, collocata erat, iisque deinceps facillime singula imaginis infernae lineamenta, veluti piorum praemia, maleficorum poenae, iudicia, genera, tanquam centro cuidam, affingi et alligari poterant.

Exaedificabant autem hanc inferorum imaginem haud dubie iidem, qui inter omnes maxime circa futura animarum fata versabantur, i. e. poetae Orphici. Qui qua ratione antiquam et a poetis prioribus acceptam opinionem variaverint, quamvis difficile sit dictu singulatim, tamen videtur sublucere, eos tam in depingendis beatorum sedibus quam in definiendis distribuendisque poenarum causis, generibus, locis, summam collocasse operam[239]), ita ut accuratior et magis constans Orci descriptio ex officinis Orphicis derivanda videatur, contra haud exigua pars elementorum, unde nova inferorum spectacula conflarentur, ex antiquioribus sit poetis repetenda. Etenim esse illic sceleratis poenas atque deas ultrices, id iam aetas Homerica credebat atque adeo nonnulla suppliciorum genera constituerat; esse loca, ubi viri magnanimi, diis faventibus, post mortem beata fruerentur vita, Hesiodus innuerat. Restabat, ut ii, qui animam corporis coniunctione contaminatam et proinde aut hic aut illic lustrandam puniendamve putarent, accuratius ederent, quorum animae quas ob causas in quibus inferorum locis quibus suppliciis quibusve praemiis vel contristarentur vel laetificarentur. Talia autem argumenta satis antiquis temporibus in adumbranda inferorum imagine Orphicis fuisse obversata, eo maxime adducor ut credam, tum quod ista imago ex parte saltem depicta esse debuit, qua aetate hymnus in Cererem conditus est, quippe cuius auctor sine dubio diversam piorum impiorumque conditionem illic imminentem agnoscat[239b]), tum quia re vera iam aetate Pindari theatra inferna plane sunt absoluta atque communi omnium conscientia recepta, quatenus ea quidem, non adhibitis philosophorum placitis, tunc absolvi poterant.

Iam Orphicae inferorum imagini Charontem portitorem esse inserendum, nihil est quod dubites. Notus Diodori locus id saltem docet, nantam Acheronticum, sicuti piorum prata, impiorum cruciatus, cetera *δείματα*, praecipue fuisse Orphicis carminibus celebrata[240]). Quorum in aliquopiam etiam legebatur, Charontem annum integrum in compedibus fuisse, quia Herculem, adspectu herois exterritus, statim navicula excepisset[241]); idque carmen Virgilius haud dubie noverat, ut qui portitorem illud supplicium oblique innuentem inducat. Quapropter, quum in monumentis Graecis, quae quidem exstant, ante auctorem Minyadis nulla fiat mentio daemonis Acherontici, sane quaeri potest, quando et unde eum poetae Orphici in scenam inferorum produxerint, utrum hanc quoque figuram, sicuti magnam partem inferni apparatus e prioribus poetis epicis in suam converterint partem, an contra poeta epicus e theologia Orphica portitorem sumpserit.

Iam vir celeber in Aglaophamo iudicavit, tam Minyadem quam omnia carmina

239) Lobeck. l. l. p. 806; 810, sq.

239 b) Hom. hymn. in Cer. 480:
ὄλβιος, ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
ὃς δ' ἀτελὴς ἱερῶν, ὅς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίην
αἶσαν ἔχει, φθίμενός περ, ὑπὸ ζόφῳ εὐρώεντι.

240) Diodor. I, 92; 96. Cf. Lobeck. l. l. p. 811.

241) Serv. ad Virg. Aen. VI, 392:
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque.

mystica, quibus novae de inferis fabulae spargerentur, iisque, qui deorum sacra decreta percepissent, spes beatioris vitae et Elysiae sedes promitterentur et pares contemptoribus poenae, demum sub aetatem, qua Aegyptus est patefacta, in medium processisse[242]). Aegyptus autem, quod nemo ignorat, Graecis est reserata sub Ol. XXXI, Psammeticho summa rerum potito[243]), qui et antequam solus regnaret et totius factus Aegypti dominus, Graecorum commerciis auxiliisque utebatur. Profecto igitur nihil obstabat, quominus Aegyptiorum mythi ac ritus crebris tunc utriusque populi commerciis in Graeciam penetrarent atque nonnullis Olympiadibus post initum a Psammeticho regnum Graecis theologis innotescerent atque in ore essent, praesertim quum sit verisimile, commenta theologorum Aegyptiorum haud prorsus novas et alienas a propriis Graecorum opinionibus continuisse sententias. Certe in mythis Aegyptiorum, qui ad vitam futuram pertinent, imagines apparent illis persimiles, quas paulo ante Orphicae inferorum imagini potissimum fuisse proprias significavimus, id est, accurata quaedam infernorum et suppliciorum et praemiorum descriptio ac dispositio, quacum haud dubie genus quoddam metempsychosis arcte cohaerebat.

Champollio enim, admirabile Rhamsis quinti sepulcrum, opus seculo decimo quinto a. Chr. factum, describens[244]), nos edocet, apud Aegyptios iam antiquissimis temporibus regna inferna ratione quadam disposita fuisse atque ordinata, cuius similem inter Graecos nisi post exortam Orphicorum disciplinam re vera non invenimus. Conspicuus enim est in longa anaglyphorum serie, quibus ampla illius sepulcri conclavia sunt exornata, rex defunctus sub imagine Solis, qui navicula, quam Aegyptii barim vocant, per superum et inferum hemisphaerium vehitur atque, multas mundi superi inferique plagas perlustrans, etiam varia illa adit loca, in quibus animae qua, indicio constituto, in nova mutantur corpora, qua beatis fruuntur sedibus, qua horrendis multiplicibusque afficiuntur suppliciis.

Comparet igitur inter argumenta, quae ad superum hemisphaerium pertinent, Atmu, deus atque iudex coelestis[245]), qui animis in terram redituris — non libera quidem corporum eligendorum data potestate, sicut in mytho Platonico[246]), sed secundum psychostasiae eventum — corpora denuo subeunda adsignat. Quemadmodum autem

242) Lobeck. l. l. p. 313: — Inter haec vero Aegypto patefacta est superstitionum et vanitatum sacerdotalium parens, quarum contagionem iam ante Pythagoram occulte in Graecia serpsisse, quis non consentiat, etc. O. Muell. Proleg. mytholog. p. 382: Dass die Orphischen Orgien aus Aegypten stammten, könnten wir ohne Weiteres annehmen, wenn nicht Herodot in seinen Ableitungen aus Aegypten oft so sehr wunderlich wäre. — — Dass aber der Pythagoreische Bund die andere Wurzel sei, ist aus chronologischen Gründen eine sehr bedenkliche Annahme.

243) Adeas nunc Rosellin. Mon. Aegypt. part. I. tom. 2. p. 202.

244) Epistt. ex Aegypt. XIII, p. 224; 230, sq.

245) l. l. p. 230: A la troisième heure, le dieu Soleil arrive dans la zone céleste, où se décide le sort des ames, relativement aux corps qu'elles doivent habiter dans leurs nouvelles transmigrations; on y voit le Dieu Atmou assis sur son tribunal, pesant à sa balance les ames humaines qui se présentent successivement.

246) Plat. Rep. X, p. 617. Haec enim coelestis ille propheta animis pronuntiat: ψυχαὶ ἐφήμεροι, ἀρχὴ ἄλλης περιόδου θνητοῦ γένους θανατηφόρου, οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ᾽ ὑμεῖς δαίμονα αἱρήσεσθε. —— αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. Etiam magis Aegyptiorum theologiam videntur resipere, quae leguntur ap. eundem in Timaeo, p. 91 et 92.

apud Platonem animae nonnullae, quondam humanae, ineunte novo terrestris migrationis orbe, sua sponte corpora animalia sibi induenda eligunt, ita coram Aegyptio illo metempsychosis arbitro animae damnatae in corpora bestiarum transfigurantur; et ad hunc quidem modum, ut ingenio, quale quondam iis fuerat, etiam novae formae indolis respondeat. Itaque, ut apud Platonem Orpheus vitam cycni, Aiax leonis, Agamemnon aquilae, alii aliorum animalium sibi eligunt[247]), sic apparet in anaglypho Aegyptio rea luxuriosi hominis anima, mutata in figuram ingentis porcae, quae baridi imposita caesaque prope a comitantibus cynocephalis, per portam quandam ab Anubide custoditam in terram remittitur[248]). Hoc autem iudicium, in quo renascendarum animarum causae cognoscuntur, secundum Champollionem in regione quadam coelesti est collocatum, neque igitur pertinet ad eos, qui, modo vita defuncti, ad inferna perveniunt regna, quae ab Aegyptiis Amenthes vocantur[249]). Illic enim animae recentes a morte coram Osiride eiusque quadraginta duobus assessoribus iudicantur[250]); unde sublucet, defunctis, secundum theologiam Aegyptiorum, duo saltem esse subeunda iudicia, unum statim post obitum, alterum antequam renascantur.

Qualis autem sit diversa diversarum animarum conditio, alia anaglypha eiusdem sepulcri satis declarant. Conspiciuntur enim ibi tam beatae piorum sedes quam horrenda impiorum claustra. Et illae quidem sane haud multum ab ea recedunt imagine, quam Pindarus[251]) et multi post eum adumbraverunt. Conspicui sunt campi coelestes, arboribus felicibus uberibusque segetibus obsiti, ubi animae piae, quaeque pennam struthiocameli, virtutis ac iustitiae symbolum, in capite gerens[252]), beatam degunt vitam; quarum pars diis sacrificat, pars poma coelestibus fruticetis decerpit aut falcibus munita messem farit, dum aliae in magna piscina, aquis coelestibus repleta, lavando natandoque membra exercent, aliae hilares ducunt choreas. Redit igitur summa huius beatitudinis ad *παντοίας εὐωχίας*, locaque illa beata non magis apud Aegyptios quam apud Graecos in varias atque multas regiones videntur divisa esse. Praeterea videmus, utrumque populum beatis suis ea maxime tribuisse, quae sibi apud superos exoptatissima essent,

247) Plat. l. l. X, p. 620.

248) Champoll. l. l.: le coupable est sous la forme d'une énorme truie, au-dessus de laquelle on a gravé en grand charactère gourmandise ou gloutonnerie, sans doute le péché capital du délinquant, quelque glouton de l'époque. — Plut. de Is. et Os. tom. X, c. 31. p. 144 ed. Tub. haec dicit: *θύσιμον γὰρ οὐ φίλον εἶναι θεοῖς, ἀλλὰ τοὐναντίον, ὅσα ψυχὰς ἀνοσίων ἀνθρώπων καὶ ἀδίκων εἰς ἕτερα μεταμορφουμένων σώματα συνείληφε.* Cf. Plat. Tim. l. l.

249) Champoll. l. l. XIII, p. 242. et XVII, p. 319, sq. Praeterea nunc adeas Tattam. Lex. Aegypt. Latin. s. v.

250) l. l. Pari numero videntur fuisse illi iudices humani, penes quos iudicia de' honore sepulcri erant. Diodor. I, 92: — *παραγενομένων δικαστῶν πλείω τῶν τετταράκοντα.* Cf. infra annot. 259.

251) Vid. potissimum fragm. ap. Plut. consol. ad Apollon. tom. VII, p. 363. Ap. Boeckh. fragm. X, 1. p. 620. Cf. Plat. Axioch. p. 371.

252) Champoll. l. l. XIII, p. 231. Eodem modo quadraginta duo assessores Osiridis sunt exornati. Ibid. XVII, p. 319. Unde nescio an derivanda sint, quae narrat Plut. de fac. in orb. lun. tom. XIII, c. 28, p. 92: *αἱ (ψυχαὶ) δ' ἄνω γενόμεναι καὶ βεβαίως ἱδρυθεῖσαι, πρῶτον μέν, ὥσπερ οἱ νικηφόροι, περιΐασιν ἀναδούμεναι πτερῶν στεφάνοις εὐσταθείας λεγομένας* (lego *λεγομένων*), *ὅτι τῆς ψυχῆς τὸ ἄλογον καὶ τὸ παθητικὸν εὐήνιον ἐπιεικῶς τῷ λόγῳ καὶ κεκοσμημένον ἐν τῷ βίῳ παρέσχοντο.*

praeterquam quod theologi Graeci in adumbrandis piorum sedibus Graecos mores eosque imprimis heroicos, Aegyptii Aegyptios respexerunt.

Contra tartara Aegyptia, secundum varia atque multa scelerum poenarumque genera, permultas continent regiones, ut quae in septuaginta quinque divisa sint plagas[253]), quibus omnibus daemones inferni gladiis armati praesunt. Illic igitur animae reae, maximam partem humanam retinentes formam, sed interdum etiam in monstra transfiguratae, quaeque in circulo suo, diversissimis crudelissimisque suppliciis excruciantur; omnes autem atra sunt specie, sicuti etiam inferni Graecorum daemones; atque adeo Sol, qui horrendas illas carnificinas praenavigat, ater est pictus.

Talia anaglypha, editis aliquando monumentis, quae Champollio tanta cum perseverantia ac diligentia delineavit et illustravit, haud dubie ad commenta Orphicorum Aegyptiorumque accuratius dignoscenda maximi erunt momenti. Nos autem, quibus ex epistolis viri celeberrimi aliquantulum duntaxat eruditionis eius fructum delibare licuit, id saltem ab eo moniti intelligere videmur, haud ita temere esse reiicienda ea scriptorum veterum testimonia, quae ad perantiqua inter Graecos et Aegyptios commercia commixtasque utriusque populi opiniones pertineant. Quid enim? Nonne his sculpturis earumque inscriptionibus egregie confirmatur, inferna Aegyptiorum regna theologis, qui post Hesiodum Graecis Orci claustra exaedificaverunt, tanquam exemplar fuisse proposita, unde singula quaedam lineamenta imaginis exsequendae sibi assumerent? Vides enim, quantopere post aetatem Hesiodeam utriusque populi opiniones de futura animarum sorte conspirent. Uterque severa iudicia defunctis subeunda credit; uterque separandas separatasque ab impiis animas piorum agnoscit; uterque his sedes beatas et eas quidem simillima ratione adumbratas dedicat, illis per multas plagas distributis horrendas lustrationes suppliciaque decernit; uterque denique animas post certum temporis orbem renasci atque denuo in terrena redire vult corpora. Nam metempsychosis, quam, ut notum est, iam Pindarus[254]) agnoscit, Herodotus Aegyptiis diserte vindicat[255]), ab Orphicis sane multo ante Pythagoreos recipi potuit[256]), ut quae, sicuti iam nunc ex monomentis a Champollione descriptis apparet, ita cum ceteris vitae ulterioris imaginibus connexa esset, ut, his receptis, illa non recipi vix potuerit.

Iam Orco Aegyptio Charontem aut portitorem saltem infernum esse vindicandum, nunc vel sine Diodori[257]) testimonio foret probabile. Apparet enim in monumentis, ex

253) Champoll. l. l. XIII, p. 233, sq.

254) Ol. II, 73 (123) sq. Fragm. X, 4. p. 623.

255) Herodot. II, 123.

256) O. Muell. Proleg. mytholog. p. 383.

257) I, 92: — παραγενομένων δικαστῶν πλείω τῶν τετταράκοντα, καὶ καθισάντων ἐπί τινος ἡμικυκλίου, κατεσκευασμένου πέραν τῆς λίμνης, ἡ μὲν βᾶρις καθέλκεται κατεσκευασμένη πρότερον ὑπὸ τῶν ταύτην ἐχόντων τὴν ἐπιμέλειαν· ἐφέστηκε δὲ ταύτῃ πορθμεύς, ὃν Αἰγύπτιοι κατὰ τὴν ἰδίαν διάλεκτον ὀνομάζουσι Χάρωνα. Διὸ καί φασιν Ὀρφέα τὸ παλαιὸν εἰς Αἴγυπτον παραβαλόντα καὶ θεασάμενον τοῦτο τὸ νόμιμον, μυθοποιῆσαι τὰ καθ᾽ Ἅιδου, τὰ μὲν μιμησάμενον, τὰ δ᾽ αὐτὸν ἰδίᾳ πλασάμενον. Cf. c. 96, fin. Jablonsk. Opusc. I, p. 393: de Charonte illo fabulosa multa hodieque referunt Aegyptii ex incrustatis Arabum traditionibus, quibus id saltem intelligitur, esse lacum Moeridis et sermonem de illis cadaveribus, quae in Labyrinthum deporta-

sententia theologorum Aegyptiorum animas, baridi impositas, transire flumina quaedam, sive ad hemisphaerium superum, i. e. ad metempsychosis arbitrum Elysaeosve campos, tendunt, sive iis iter est ad infernum Osiridis tribunal. Quemadmodum enim Nilus terrestris, totam permeans Aegyptum, partes superiores et inferiores facillimis navigationis commerciis adeundas coniungendasque praebet, ita etiam fluvium coelestem per mundi plagas permeare volebant, atque in eo Solem et Lunam, baridibus impositos, quotidianos conficere cursus[258]. Itaque et in historiis deorum et in imagine inferorum saepissime fit baridis mentio, quippe quae, quum ad commercia itineraque in Nilo facienda plerumque adhiberetur, in imagine mundi coelestis ad Aegypti exemplar adumbrati non magis deesse potuerit, quam Olympo Graeco bigae et quadrigae. Praeterea etiam apud Aegyptios, sicuti inter Graecos et Asianos, multa, quae in mythis de diis et de vita ulteriori narrabantur, diebus solemnibus per mimos agebantur. Cui generi mimorum haud dubie est accensendum notum illud iudicium funebre, quod apud Aegyptios de cadaveribus defunctorum coram quadraginta duobus iudicibus institui solebat[259]. Quemadmodum enim animas ipsas coram Osiride eiusque quadraginta duobus assessoribus iudicari credebant, ita in terrestri illo iudicio, prout homo defunctus honeste maleve vixerat, decernebatur, num cadaveri solemnis sepulcri honos tribuendus esset necne. Atqui cum hac actione portitor, qui cadavera baridi imposita illas transvehebat aquas, ultra quas iudices sedebant, ita est connexus, ut, si cum Champollione statuerimus, iudicium ipsum esse mimum tribunalis Osiridis animis adeundi, vix dubitari queat, quin nauta funerarius et ipse ex imagine vitae ulterioris sit repetendus.

Quam rem merito iis reliquimus amplius inquirendam, quibus monumentorum inspiciendorum est copia. Utcumque autem de Charonte terrestri infernoque diiudicatum erit, id saltem ex iis, quae attuli, iure collegisse mihi videbor, Diodorum, qui portitoris non solum munus atque originem, verum etiam nomen[260]) Aegyptiis vindicat, eumque

buntur, illic sepelienda. Vid. etiam infra annot. 260.

258) Champoll. l. l. XIII, p. 230; 236, sq; XV, p. 300. Plut. de Is. et Os. tom. X, c. 34, p. 148: *ἥλιον δὲ καὶ σελήνην οὐχ ἅρμασιν, ἀλλὰ πλοίοις ὀχήμασι χρωμένους περιπλεῖν ἀεί, αἰνιττόμενοι τὴν ἀφ' ὑγροῦ τροφὴν αὐτῶν καὶ γένεσιν.* Cf. ibid. c. 18, p. 124. Winkelm. Mon. ined. II, p. 26. Proxime autem navigationem illam coelestem accedere ad eam, quae in Nilo terrestri fiebat, monstrat Champoll. l. l. XIII, p. 238: dans toute cette navigation des douze heures de nuit, comme il arrive encore pour les barques qui remontent le Nil, la bari du soleil est toujours tirée à la corde par un grand nombre de génies subalternes, etc.

259) Ita sentit Champoll. l. l. XIII, p. 241: La salle qui précède celle du sarcophage, en général consacrée aux quatres génies de l'Amenti, contient, dans les tombeaux les plus complets, la comparution du roi devant le tribunal des 42 juges divins qui doivent décider du sort de son ame, tribunal dont ne fut qu'une simple image celui qui, sur la terre, accordait ou refusait aux rois les honneurs de la sépulture. Vid. supra annot. 244.

260) Si certum sit, Aegyptio sermone *ΧΑΡΩ* silere et silentium significare, id quod viri docti affirmant (Vid. Jablonsk. l. l. La-Croz. lex. p. 114. Tattam. l. l. s. v.), nullum sane nomen melius in nautam funerarium quadrabit, atque sponte corruent ineptae Graecorum etymologiae (Eusthat. ad Il. p. 16. Ad Od. p. 1703. Cornut. N. D. 35). Oriundum autem esse Charontis nomen ex Aegypto, praeter Diodorum probare videatur quodammodo mirae Arabum nar-

ab Orpheo, ritus funebres Aegyptiorum contemplato, Graecae Orci imagini insertum perhibet, eatenus duntaxat falli, quod istam regnorum infernorum descriptionem Orpheo, i. e. poetae, quem Homero longe antiquiorem fuisse vult, adsignat, atque, commenta interpretum Aegyptiorum sequutus, ipsum Graeci portitoris munus ex mero Aegyptiorum ritu derivatum censet, quum admodum sit verisimile, ritum ipsum nihil fuisse aliud quam mimum eorum, quae post mortem animis subeunda fore crederent[261].

Quodsi ex sententia Aegyptiorum munus portitoris inferni, iudicia animarum, piorum praemia, multiplicia impiorum supplicia, metempsychosis, tanquam singula unius imaginis lineamenta, ita inter se copulata sunt atque contexta, ut, nisi universa percepta imagine, singula lineamenta eorumque nexus atque dispositio non bene intelligantur: suspicari licet, eiusmodi commenta, quum semel Graecos cupiditas noscendi res Aegyptias invasisset, non ita singulatim ac diversis temporum intervallis, sed una neque aetatibus multo distantibus in Graeciam commigrasse, ibique opera theologorum cum antiquioribus Graecorum de vita futura opinionibus tanquam in unum coaluisse systema. Verisimile tamen est, eos mythos, qui, sive sacris caerimoniis sive monumentis artium adumbrati, facilius in conspectum venissent, ocius a Graecis animadversos esse atque divulgatos, quam qui, in ambagibus sacerdotalibus positi, obtutum oculorum magis effugerent. Id autem haud multo post Ol. XXXI evenisse, etiam inde mihi videtur sublucere, quod Charontis munus, Aegyptiorum proprium, priscis Graecis incognitum, Orphicis familiare, iam in eo depictum invenimus carmine, quod post Ol. XL conditum esse certis quibusdam rationibus vix probaveris[262].

Enimvero poeta epicus vix quidquam carmini suo delectationi destinato tam obiter potuit inserere, quod popularibus suis prorsus incognitum fore praesciret. Quae ratio iam sola per se non patitur, ut auctorem Minyadis inter Graecos primum Charontis mentionem fecisse credamus. Accedit quod poeta re vera portitorem eiusque munus et apparatum tam paucis, tamque in transcursu videtur attigisse, ut vix dubitari queat, quin rem commemoraverit, quae iam permultis fando saltem audita esset[263]. Denique universa

ratiunculae, quae quondam — num etiam hodie? — in regionibus lacus Moeridis spargebantur. Nam in iis, quamvis fabula portitoris mirum in modum detorta et offuscata, tamen Charontis antiquum nomen atque munus et ingenium clarum diserte describitur. Vide narratiunculam, quam ex ore Arabum exceptam refert Paulus Lucas in Itiner. sec. (Voyage du Sieur Paul Lucas fait par ordre du roi dans la Grece, l'Asie mineure, la Macedoine et l'Afrique. Amsterd. 1714) tom. II, p. 51—55; ubi auctor haec subiicit: On pourroit douter si c'est de-là que les Poëtes ont pris l'histoire de Caron le passager des Enfers, ou si c'est des Poëtes que les Egyptiens le tiennent; mais au moins m'avoüera-t-on que la fable et cette tradition des Egyptiens ont une conformité entiere; et qu'il est fort vraisemblable, que l'une a donné occasion à l'autre. Cf. Jablonsk. l. l.

261) De diis, qui naviculam Solis gubernant, narrat Champoll. l. l. XIII. p. 237, sq.: l'équipage se compose de la déesse Sori, qui donne l'impulsion à la proue; du Dieu Sev (Saturne), à la tête de lièvre, tenant une longue perche pour sonder le fleuve, et dont il ne fait usage qu'à partir de la 8e heure, c'est à dire lorsqu'on approche des passages de l'occident, etc.

262) Welcker. Mus. Rhen. Supplem. I, p. 289. Aliter sentit Ulricius noster. Hist. Poes. Graec. I, p. 441; 466, sq.

263) Neque dici potest, fabulam Charontis a poeta in alio carminis loco uberius fuisse expositam,

mythorum series, quibus nauta Acheronticus accenseri debet, ita severa est atque adeo tristis, ut difficile sit ad credendum, alios poetas eiusmodi fabulas divulgasse inter Graecos, quam illos, qui inter omnes maxime circa gravissimos et huius et alterius vitae casus versarentur. Nec omnino perperam videtur Heynius observare, spectare hunc mythum, ex Orphica disciplina enatum, potissimum ad consecrandam iustorum persolvendorum necessitatem[264]), quum nulla anima, quae expers sit honoris sepulcri, a severo fluviorum infernorum custode navicula excipiatur. Qua quidem opinione mentibus semel infixa, fieri non potuit, quin, sepulcro negato, etiam Deorum Manium pax atque iura temerari viderentur.

His adductus rationibus equidem existimaverim, auctorem Minyadis, etsi hoc carmen aut omnino ex Orphicis emanasse officinis aut post Ol. XL demum conditum fuisse haud affirmare ausim[265]), tamen in Orco describendo aliquatenus opiniones Aegyptiorum sequutum esse, quippe quae sub Ol. XL, i. e. postquam Aegyptus triginta annis amplius Graecis patuerat, in Graecia opera Orphicorum sane iam divulgatae esse possent.

Iudicare igitur licet, siquidem argumentis nostris aliquid probabilitatis inest, Charontem portitorem, ab antiquissimis ac propriis Graecorum mythis alienum neque ante Ol. XXXI in Graecam Orci imaginem receptum, Graecis inter Ol. XXXI et XL non solum innotuisse, verum etiam sub finem huius aetatis ex sacerdotalibus traditionibus in carmina epica transmigrasse, ita ut inde ab horum temporum tractu notitia eius carminibus et sacris et profanis divulgaretur. Quapropter non mirum est, quod haec figura inferna, quamvis insiticia nec ulli deo Graeco vinculis aut genealogiae aut publicae religionis coniuncta, tamen circiter annis centum post Graecis evaserat familiarissima.

quia Pausanias, quum imagini illustrandae auctorem quaereret, certe uberiorem laudasset locum.

264) Ad Virg. Aen. VI, 326.

265) Vid. Ulric. l. l. p. 467, sq.

CAPUT TERTIUM.

DE CHARONTE SCENICO.

Iam postquam Charontis incunabula patefecimus, adeunda nobis est altera quaestionis pars, quae ad mutatam daemonis naturam, formam, provinciam, earumque caussas pertineat. Florentissimas enim Graecarum tam literarum quam artium aetates earumque monumenta, quae exstant, si consideraveris, sane tibi concedendum erit, nulla apparere vestigia, unde iure colligas, Charontis figuram atque indolem tunc temporis aut cogitatione aut scalpro penicillove alia effictam esse ratione, quam qua et Minyadis auctor et Polygnotus portitorem depinxerant. Neque, etiamsi posteriorum poetarum artificumque opera animo perlustraveris, negabis, eandem nautae Acherontici imaginem etiam serioribus aetatibus maxime fuisse acceptam atque frequentatam, praeterquam quod seriores quique poetae, ut in ceteris Orci imaginibus, ita in hac quoque figura adumbranda magis eo inclinabant, ut, uno alterove lineamento addito, eam foediorem ac terribiliorem redderent[266]).

Nihilo tamen minus paulatim daemon aliam induit naturam atque formam, et id quidem, ni prorsus fallor, iis accidit aetatibus, quibus, hinc ingruente superstitione adauctoque mirum in modum mortis timore, illinc prisca deorum auctoritate decrescente, universa morum religionumque ruina artes quoque sensim temerari coeperant. Mutata autem esse antiqua illa Charontis indoles potissimum ea videtur ratione, qua portitorem, ad usus theatrales accommodatum atque ex superstitiosa vulgi opinione figuratum, in scenam producebant.

Nam, ut hodie haud exigua pars hominum res infernas, quamvis credens et perhorrescens, tamen, veluti e longinquo et secure spectans, voluptuoso quodam horrore perfunditur, ita apud Graecos vulgus spectatorum infernis illis terriculamentis haud leviter commovebatur atque delectabatur. Nec unquam cessit ista Orci spectandi noscendique cupiditas, id quod facillime vel ex longa poetarum serie collegeris, qui inde ab Homero usque ad Claudianum talia argumenta carminibus suis intexuerunt. Itaque nullum fere artium genus eiusmodi imaginibus plane caruit; Homerum Cyclicosque exceperunt Lyrici poetae, quibus in threnis faciendis ampla erat Orci depingendi opportunitas. Quod autem ad drama pertinet, inde ab Aeschylo Graeci assuefacti erant infernis figuris in scena spectandis; Euripides, quod nemo ignorat, Orcum ipsum in scenam produxit; Aristo-

266) Virgil. Aen. VI, 298, sq. Iuven. III, 265. Stat. Theb. XI, 590, sq. Praeterea huc facit Senec. Herc. Fur. 764:

Hunc servat amnem cultu et adspectu horridus,
Pavidosque Manes squalidus gestat senex,
Impexa pendet barba; deformem sinum
Nodus coërcet; concavae lucent genae,
Regit ipse conto portitor longo ratem.

phanes cum aliis regni inferni spectaculis etiam Charontem; quem ipse quidem, tradita daemonis imagine servata, nulla ferinae indolis formaeve nota deturpavit. Sed his praeeuntibus, postea et ceteri Orci daemones et Charon, argumentis sive dramatum sive mimorum inserti, haud dubie saepius in scena partes agebant; cui rei nescio an vetus illa opinio, qua moribundos a daemonibus infernis vocari, contrectari, abduci, credebant[267]), potissimum praebuerit ansam. Tamen poetae antiquiores his artificiis theatralibus parcius videntur esse usi; atque apparet, ubi apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem, moribundi a diis infernis vocari agive aut ipsi sibi videntur aut dicuntur, talia improprie dici neque de diis vere vel praesentibus vel vocantibus intelligenda esse. At posteriores poetae, ea cogitandi loquendique ratione ducti, daemones vocantes et abducentes re vera videntur in scenam produxisse, id quod Timotheum Milesium inter primos fecisse, ex facetis Machonis comici verbis collegeris[268]), qui Philoxenum, comeso polypode moriturum, ita loquentem facit:

'Αλλ' ἐπεὶ
ὁ Τιμοθέου Χάρων σχολάζειν οὐκ ἐᾷ,
οὐκ τῆς Νιόβης, χωρεῖν δὲ πορθμὸν ἀναβοᾷ,
καλεῖ δὲ μοῖρα νύχιος, ἧς κλύειν χρέων·

Comicus artificium theatrale, ab antiqua tragoediae dignitate sane abhorrens, videtur perstringere, quo poeta in Niobe, dithyrambo dramatico[269]), portitorem in scenam produxerat. Personatus Timothei Charon haud dubie praesens ea spectatoribus sentienda et intuenda edidit, quae antea graviores poetae solummodo dictis tenus de adventantibus Orci daemonibus iecerant. Vocabat enim, opinor, moribundos Niobidas; imo, non solum vocasse eum crediderim, verum etiam violento quodam modo coegisse, ut secum ad Orci claustra naviculamque descenderent. Quod haud scio an ita peregerit, ut, per scalas Charonias adscendens, moribundis manum iniiceret arreptosque de scena detraheret atque secum deduceret. Enimvero ex sententia illius aetatis ad hunc fere modum Charontem cum moribundis agere, satis reddit probabile fragmentum Antiphanis comici[270]):

Οὐδεὶς πώποτε,
Ὦ δέσποτ', ἀπέθαν', ἀποθανεῖν πρόθυμος ὤν·
τοὺς γλιχομένους δὲ ζῆν κατασπᾷ τοῦ σκέλους
Ἄκοντας ὁ Χάρων, ἐπὶ τὸ πορθμεῖόν τ' ἄγει,
Σιτιζομένους καὶ πάντ' ἔχοντας ἀφθόνως·

Huiusmodi loquendi modus sane minime quadrat in antiquam portitoris imaginem, qui,

267) Sophocl. Oed. Col. 1548; 1615, sq. ed. Reisig. Eurip. Alcest. 259; 267, sq. ed. Monk. — Aristoph. Lysist. 605. Cf. Valcken. Diatr. XXV, p. 280. Blomfield. ad Aeschyl. S. c. Theb 856.

268) Ap. Athen. VIII, p. 341, C. Cf. Lennep. ad Phalar. epistl. p. 32, B.

269) De dramatico dithyrambi genere vid. Ulric. Hist. Poes. Graec. II, p. 601; 608, sq. Ceterum equidem non intelligo, quomodo de titulo dithyrambi ambigi possit, quum ex locis, quos Lennep. l. l. congessit, satis videatur elucere, Charontem nihil aliud fuisse quam personam, quae in Niobe partes inferiores ageret.

270) Ap. Stob. Floril. ed. Gesn. p. 608, 11.

Acheronti addictus, nunquam ad aures superas evadat, neque cum animis nisi iam in Orcum delapsis versetur; optime autem valet in daemonem, qui, de profundo emergens, moribundos clamando urgendoque de scena deturbatos secum deducat. Quapropter dubitaverim an formula *κατασπᾶν τοῦ σκέλους*, qua, Antiphane praeeunte, etiam Lucianus[271]) de Cerbero est usus, potissimum ad theatralem daemonum infernorum actionem sit referenda[272])

Neque enim, licet pauca huius rei vestigia in monumentis antiquis exstare videantur, minus est verisimile, post Timotheum alios quoque poetas simili quodam modo daemones infernos in scenam induxisse. Certe inter personatas tragoediae figuras etiam Leti fit mentio[272b]). Praeterea apparet, mimographos Italos saepius istiusmodi argumenta usurpasse. Habemus inter Laberii mimos Lacum Avernum et Necyomantiam; quam ad argumentorum seriem haud scio an pertinuerint etiam Staminariae, unde Gellius hunc servavit versiculum[273]):

Tollet bona fide vos Orcus nudas in Catonium.

Ubi quid sibi velit Orcus, qui nudas, puto animas quasdam, in Catonium tollat, fortasse suspicari licebit, si meminerimus mimos illos, ludis gladiatoriis insertos, spectacula crudelissima, quorum argumenta nonnulla Tertullianus nobis tradidit[274]).

Haec enim dicit, acerbo suo more Romanos increpans: „Plane religiosiores „estis in gladiatorum cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poena„rum, proinde saltant dei vestri argumenta et historias nocentibus erogandis, aut in „ipsis deis nocentes puniuntur. Vidimus saepe castratum Attin deum a Pessinunte, et „qui vivus cremabatur, Herculem induerat. Risimus et meridiani ludi de deis lusum, „quo Dis pater, Iovis frater, gladiatorum exequias cum malleo deducit; „quo Mercurius, in calvitio[275]) pennatulus, in caduceo ignitulus, cor„pora exanimata iam mortemve simulantia e cauterio probat."

Eiicet, his ludis meridianis, quemadmodum Mercurius munere carnificis inferni fungebatur, ita Orcum, tanquam vespillonem, cadavera gladiatorum, sandapilae imposita, ex arena per portam Libitinensem deduxisse[276]). Cuiusmodi ludorum licentiam atque

271) Vid. Hemsterh. ad Lucian. I. p. 421. (Dial. Mort. VIII.) et Valcken. l. l.

272) Simillimum formulam, ex Atellana fabula petitam, habes ap. Suet. Ner. c. 39:

Orcus vobis pedes ducit.

quam viri docti merito cum loco Lucianeo comparaverunt.

272b) Poll. IV, 142: *τα δὲ ἔκσκευα πρόσωπα — θάνατος, ἢ ἐρινύς, ἢ λύσσα, κτλ.*

273) Gell. XVI, 7. Quod ad Staminarias attinet, vix dubitaverim, quin eaedem fuerint atque *Κλωθῶες* in monumento Regillae (Ap. Viscont. Opp var. tom. I. p. 272, v. 14), id est, Parcae. Qua coniectura admissa, verisimile est, unam Parcarum illis verbis animas quasdam deducendas alloqnutam esse. Praeterea de voce Catonium vide imprimis Salmas. ad Spart. Adrian. c. 18, p. 171. Ernest. ad Cic. Epistt. Fam. VII, 23. Neque Conradius, qui traditam scripturam Catonium retinuit, incuriae erat arguendus. Cf. Boettig. Larv. furial. p. 119.

274) Ad Nation. I, 10. Eadem paulo restrictiora exstant apud eundem in Apolog. 15.

275) Calvitio ridiculas mimorum personas fuisse insignitas, viri docti observaverunt. Vid. Ziegler. de mim. Rom. p. 30. Koepk. de iisdam; in Athenaeo, tom. III, p. 163.

276) Cf. O. Muell. Etrusc. II. p. 100. Aliter locum intellexisse videtur Gerhard. Mus. Reg. Ber. mon. rec. acquis. p. 46); ut Ditem malleo gladiatoribus

crudelitatem licet libenter concedam, iis demum temporibus ingruisse, quibus, moribus maiorum omnino fractis, perpauci erant Romae, qui crederent,

> Esse aliquid manes et subterranea regna,
> Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras,
> Atque una transire vadum tot millia cymba[277]),

tamen non dubium est, quin aetate Caesaris, qua profecto homines culti terriculamentis infernis nihilo magis fidem habebant[278]), etiam Laberii mimi, quibus inferna spectacula argumento essent, ad lusum et ludibrium spectaverint. Quod si constat, nulla obstabit ratio, quominus credamus, pertinere illum Laberii versum ad scenicam Ditis actionem, sive dux Erebi in ipsis Staminariis partes agebat, sive poeta ad notum eius in theatris habitum respexit. Sed Orcum in mimis ipsis, sicuti in tragoedia, psychopompi vicibus esse functum, tum modus ridiculus, quo persona eius in ludis meridianis abutebantur, probat, tum ipsa Laberii verba suadent, ut quae haud oblique eam scenici Orci actionem significent, qua, sicuti Timothei Charon, moribundos vel animas personatas vi adhibita de scena tollebat atque secum in subterraneum quoddam antrum deducebat.

Crebro Orcum eiusdem autem similes in scenam prodiisse, vel ex vulgari usu vocabuli Catonium colligere liceat. Pertinet enim haec vox ad verba obsoleta atque maculantia, quae Laberius ex vulgi usu posuit[279]). Quod quum Gellius diserte affirmet, non dubium videtur, quin Catonium earum sit vocum, quas aliunde receptas vulgus Romanum, in notiores sibi sonos flectendo, perverse pronuntiaret. Quemadmodum igitur Ganymedes, Laomedon, Halcyone, Nilus, Semele, auribus plebeiis sonabant Catamitus, Alumento, Alcedo, Melo, Stimula[280]), ita Charonium facillime detorquebant in Catonium. Charonium autem, quod nemo ignorat, illis aetatibus significabat, sicuti Plutonium, antra illa pestilentia, Straboni et medicis saepius memorata[281]), per quae aditus ad regna infera patere credebant. Recte igitur viri docti Catonium ad ostia inferorum referunt.

Praeterea autem dubitaverim, an idem vocabulum non solum antra illa significaverit, verum etiam certum quendam locum in theatris, fortasse ad imas scalas Charonias sub scena exstructum, quo numina inferna cum deducendis personis descenderent. Nam elucet, vulgus Romanum alienum vocabuli sonum atque usum nisi a Graecis non accepisse. Quo igitur modo accipere poterat? Nempe facillime ex usu theatrali, id quod Laberii verba sane videntur ostendere, quum diserte dicatur: Orcum personas quasdam tollere in Catonium: quam loquendi formulam nisi ex usu scenico non facile derivaveris.

Atqui haec vox aetate Caesaris haud dubie sermone vulgari plane erat recepta; indidem enim Laberius eam sumpsit; et Ciceronianum illud, quo facetissime Caesaris consilia

occisis minitari, Tertullianus ne verbo quidem indicat. Ceterum de porta Libitinensi vid. Kirchm. de fun. Rom. p. 269, sq.

277) Iuvenal. II, 149.

278) Quis est enim tam excors, quem ista moveant. Cic. Tuscul. I, 6. Cf. pro Cluent. c. 61.

279) Gell. l. l.

280) Fest. v. Catamitus. Alcedo. Alumento. Melo. Cf. interprett. ad Liv. XXXIX, 12. Lanz. Ling. Etr. I, p. 334. Bernhard. Litt. Rom. p. 66, annot. 108.

281) Strab. XIV, c. 1, p. 168; 189. XIII, c. 4, p. 157. Ed. Lips. Aret. I, 7: *ἐν χαρωνίοισιν αἱ πνίξεις οὐ σωμάτων πάθεϊ ὀξέεται γίγνονται, ἀλλὰ καὶ μιῇ εἰσπνοῇ θνήσκουσιν ἄνθρωποι, πρὶν τὸ σῶμα κακόν τι παθέειν.* Cf. Boettig. Larv. furial. p. 118.

notantur[282]), declarat, notissimam fuisse etiam hominibus cultioribus. Quam crebro igitur putes, et vocem et rem, quae cum illa arcte cohaerebat, id est, daemones infernos, in spectaculis publicis auditam fuisse atque spectatam, antequam in consuetudinem vulgi Romani venerit?

Quae si recte collegimus, indicandum est, et Orcum et ceteros daemones infernos, sicuti superos et marinos, in mimis Italicis egisse partes. Quapropter, etiamsi nullum monumentum nostrae faveret sententiae, tamen probabile foret, tam Charontem quam Orcum, quemadmodum utrumque in theatro Graeco psychopompi munere fungentem invenimus, ita etiam in pulpitis Italicis easdem servasse partes. Sed non omnino desunt monumenta, quae nostro iure ad scenicum Charontem referre videamur. An dubitabis, postquam Charontem in scena Graeca partes egisse demonstravimus, num daemon in anaglypho urnae Volaterranae, Graeco argumento insertus, Graeco nomine insignitus, e profundo, tanquam e Charonio, una cum Furia emergens, putandus sit persona scenica[283])? At enim tetra est figura atque a dignitate artium Graecarum plane abhorret. Recte quidem; enimvero eam effinxerunt manus sculptoris Etrusci nec satis habilis; neque facies per se terribilis ulla est ingeniosi artificis aut dispositione aut exsecutione mitigata. Imo concedimus, singula quaedam figurae Volaterranae lineamenta, veluti aures ferinas et malleum, fortasse Italico deberi ingenio[283b]). Nihilo tamen minus mihi quidem persuasum est, scenicum Graecorum Charontem sculptori Etrusco in argumento elaborando praecipue fuisse obversatum. Quid enim? Putasne, Aeschylum, summum poetam, Furias terribili specie instructas in scenam produxisse; Euripidem Orco terribiles dedisse mores,

ἐχθροὺς γε θνητοῖς καὶ θεοῖς στυγουμένους[284]),

Timotheum autem, et qui post eum, artibus iamiam declinantibus, daemones infernos argumentis dramatum mimorumque insererent, Charontem non terribili exornasse facie? Nonne videmus, aetate Callimachi homines superstitiosos iam eo inclinasse, ut ipsum Mercurium, venerandum quondam numen, tunc vero tremendum, tanquam Lamiarum Empusarumque sodalem, sub imagine terribili mentibus informarent[285])?

Qua igitur ratione fulti negemus, Timotheum, et qui eandem sint viam ingressi, tam Charonti quam similibus eius daemonibus foedam tribuisse faciem, praesertim quum superstitio et Graeca et Romana satellites Orci ad unum omnes saevissimo ore atque habitu praeditos sibi informasset? Neque scenicam portitoris formam et actionem

282) Cic. epistt. Fam. VII, 25: Sed heus tu, manum de tabula. Magister adest citius, quam putaramus. Vereor, ne in Catonium Catoninos.

283) Cf. supra annot. 167. Cum hoc anaglypho conferenda est pictura singularis vasis fictilis ap. Hancarvill. tom. II, tab. XVI, quam denuo edidit Inghir. in Pictur. vasor. fictil., tom. I, tab. LX. Nam quo modo in anaglypho Volaterrano Charon una cum Furia e profundo emergunt, eodem in pictura Furia apparet, quae non solum colore atro, sed etiam naso adunco proxime accedit ad Charontis figuram; id quod Inghiramius quoque observavit (l. l. p. 114). Cf. Boettig. Larv. furiat. p. 29. Ceterum Furias crebro in theatris Romanis egisse partes, abunde docet Cic. pr. Rosc. c. 24.

283b) Vid. infra annott. 343–347.

284) Eurip. Alcest. 62.

285) Vid. Spanh. ad Callim. H. in Dian. 69.

non videtur oblique significare Statius[286]), ubi Oedipodem, senem squalidum, cum Charonte comparans, haec dicit:

At genitor, sceleris comperto fine, profundis
Erepsit tenebris, saevoque e limine profert
Mortem imperfectam. Veteri stat sordida tabo
Utraque canicies, et durus sanguine crinis
Obnubit furiale caput. Procul ora, genaeque
Intus, et effossae squallent vestigia lucis.
Virgo autem impositae sustentat pondera laevae,
Dextra sedet baculo. Qualis si puppe relicta
Exosus pigri manes sulcator Averni
Exeat ad superos, solemque et pallida turbet
Astra, nec ipse diu fortis, patiensque superni
Aëris; interea longum cessante magistro
Crescat opus, totisque exspectent secula ripis.

Elucet enim ex hoc depingendi modo, talem animo poetae obversari figuram, qualem Timothei Charontem fuisse suspicamur; qualem fortasse in urna Volaterrana conspicimus; id est non illum quidem portitorem, qui, nulla indolis formaeque foeditate maculatus, horrenda flumina servet, sed teterrimum daemonem, qui, Orci Euripidei instar, relicta cymba, ad superos exeat, inter vivos vagetur, vita privatos vi secum deducat. Quod si talem Charontis naturam atque imaginem inde ab aetatibus Timothei et Antiphanis opera poetarum scenicorum sensim increbruisse ponamus, non mirum est, quod poetae posteriores in depingenda portitoris foeditate quodammodo luxuriant; quod Lucianus ei simpliciter partes Cerberi tribuit[287]); quod postremo Charontis nomen re vera in probrum abiit, quo homines scelesti ob oris et animi diritatem notarentur[288]).

His expositis, iam sublucet, quibus rationibus adducti potissimum scenicam Charontis imaginem sculptori Volaterrano obversatam fuisse statuamus. Quae sententia quatenus sit probabilis, fortasse etiam melius apparebit, quum paucis attigerimus momenta, quae antiquae portitoris naturae commutandae fuerint. Nam quum plane sit incredibile, antiquam quandam acceptamque a maioribus opinionem ex libidine unius alteriusve poetae ita temere repente fuisse mutatam: in omni eiusmodi indagatione plurimum videtur interesse, ut, quatenus fieri queat, eruatur, qualem fingendi materiem quaque

286) Stat. Theb. XI, 580.

287) Lucian Demon. 45, tom. II, p 390: *Χάρων με ἔδακεν*. Cf. Valcken. Diatr. XXV, p. 280. Sed paulo nimium videtur e loco Lucianeo colligere Boettig. Larv. furiel. p. 119: „Charon galt überhaupt in der Sprache der Griechen für den, der die Menschen hinabzöge.“ Nam ista daemonis provincia, nisi omnino fallor, ultra comoediam mediam non adscendit, nec ab origine nisi in scena locum habuit.

288) Apulej. Apolog. ed. Oudendorp. p. 444: Neque enim diu est, cum te crebrae mortes propinquorum immeritis haereditatibus fulserunt; unde tibi potius, quam ob istam teterrimam faciem, Charon nomen est. Ibid. p. 518: Igitur agnomenta ei duo indita; Charon, ut iam dixi, ob oris et animi diritatem: sed alterum, quod libentius audit, ob deorum contemtum, Mezentius.

aetate opiniones popularium poetis artificibusque suppeditaverint. Iam constat inter omnes, vulgus Graecorum, licet et mysteria publica et placita philosophorum laetiorem vitae futurae spem excitarent, tamen regna subterranea omniaque, quae aliquatenus ad ea pertinerent, nunquam non immane quantum abhorruisse. Lugubris Orci imago, quam aetas Homerica adumbraverat, in universum in animis popularium residebat, atque adeo, declinante publica privataque salute, multiplicibus ac nihilo sanioribus superstitionibus ita est adaucta, ut in plebe timor horrorque infernorum et numinum et locorum in dies cresceret[289]. Nec quidquam profecit longa virorum eruditorum series, qui inde a Platone usque ad Plutarchum et Lucianum in superstitiosas vulgi de vita ulteriori opiniones invehebantur; inveteratus terriculorum infernorum horror resistebat tam commendatoribus quam contemptoribus iustitiae divinae; atque philosophus Samosatensis plane desperat, fore, ut credulis hominum mentibus aliquando istiusmodi superstitio extorqueatur[290].

Quodsi concedendum est, omnes inferni mundi figuras ex opinione vulgi satis terribili fuisse forma atque habitu: qualem credamus portitorem mentibus esse informatum, qui animas tristes, tristibus destinatas sedibus, irremeabiles nudas transportaret? Et superstitiosam daemonis imaginem haud scio an quodammodo ipsa nominis significatio exasperaverit, quae quidem, nisi prius, certe sub aetates Alexandrinas videtur increbruisse. Nemo enim ignorat, vocem *χάρων* quodlibet animal ferox oculisque scintillantibus praeditum significare[291]. Itaque poetis Alexandrinis non solum l e o, verum etiam a q u i l a atque Polyphemus cyclops *χάρων* sonant. Quod quum ita sit, non casu et fortuito factum esse crediderim, quod Virgilius, vel poeta, quem in depingendo Charonte sequutus est, potissimum portitori i g n e o s tribuit oculos[292]. Etenim ab homine Graeco eum nota vocabuli significatione etiam imago terribilis cuiusdam formae coniungeretur, plane necesse erat. Qua nominis notione communi rerum infernarum horrori adiecta, non fieri potuit, quin daemonis indoles atque figura macula quadam foeditatis aspergeretur, atque ille, qui immobilis audit planctum gemitumque,

— — ὃς αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται
τὰν ἄστονον, μελάγκροκον,
ναύστολον θεωρίδα,
τὰν ἀστιβῆ Ἀπόλλωνι, τὰν ἀνάλιον
πάνδοκον, εἰς ἀφανῆ τε χέρσον[293]),

ille igitur horrescentibus vulgi animis profecto non secus ac durus, rigidus, saevus obversari potuit, atque cum atrocitate indolis infernae etiam formam, quae ingenio respon-

289) Cf. Lob. Aglaoph. p. 96; 626; 635, sq. Plut. de superst. tom. VIII, c. 4, p. 63: *πέρας ἐστὶ τοῦ βίου πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ θάνατος· τῆς δὲ δεισιδαιμονίας, οὐδ' οὗτος· — ᾅδου τινὲς ἀνοίγονται πύλαι βαθεῖαι, καὶ ποταμοὶ πυρὸς ὁμοῦ καὶ στυγὸς ἀποῤῥῶγες ἀναπετάννυνται· καὶ σκότος ἐμπίπλαται πολυφάνταστον, εἰδώλων τινῶν χαλεπὰς μὲν ὄψεις, οἰκτρὰς δὲ ἐπιφερόντων, δικασταὶ δὲ καὶ κολασταὶ, καὶ χάσματα καὶ μυχοὶ, κακῶν μυρίων γέμοντες· οὕτως ἡ κακοδαίμων δεισιδαιμονία, καὶ ὃ τῷ μὴ παθεῖν ἐκπέφευγεν, ἀφύλακτον τῷ προςδοκᾶν αὐτῇ πεποίηκε.*

290) Lucian. de Luct. fin.

291) Vid. Sturz. de dial. Maced. p. 47, sq. Meineck. Euphor. fragm XLVII. Bachm. ad Lycophr. 260.

292) Aen. VI, 300: — s t a n t l u m i n a f l a m m a.

293) Aeschyl. S. c. Theb. 838. Ed. Wellauer.

deret, induere debuit. His adductus rationibus sane existimaverim, Charontem iam priusquam in scenam prodiisset, plebeculae satis terribilem fuisse visum. Neque verisimile non est, Timotheum, quique nautam, in raptorem animarum conversum, in scenam produxerint, eos tali eum figura exornasse, qualem profanum spectatorum vulgus mentibus informaverat. Charonti autem munere psychopompi tradito, non potuit fieri, quin scenico apparatu habituque antiqua eius provincia atque natura etiam magis oblitteraretur. Enimvero qui, subterraneus quondam nauta, tunc coeperat ad superos exire, moribundos vocare, arreptos secum detrahere, is quodammodo partes suscepit, quas olim prorsus alia numina egerant, ac proinde ei insinuabatur officio, quo aut Dis ipse aut Mercurius aut Letum fungebantur. Sed iidem Dii ipso communi animarum deducendarum munere propemodum in unam psychopompi imaginem coaluerunt; id quod, subnata theocrasia, eo facilius evenire potuit, quo similiores inter se erant provinciae, quas et Dis et Mercurius, quamvis utriusque partibus opera poetarum epicorum iam pridem accurate distinctis, in religionibus quibusdam antiquis retinuerant.

Nam, quemadmodum inde ab illis temporibus, quibus antiquissimi Graecorum vates de mundo trifariam inter prolem Saturniam diviso cecinerant, maior pars hominum credebat, Ditem, Iovis fratrem, arbitrum esse regnorum infernorum, ita apud Argivos sententia obtinuerat, qua animas non ad Ditem, sed ad Mercurium pervenire vellent[294]). Contra dum ex communi poetarum traditione Mercurius habebatur psychopompus, Dis in religionibus quibusdam eodem fungebatur officio. Pindarus[295]) saltem, haud dubie auctoritatem maiorem sequutus, talem depingit eum, qualem Homerus depinxerat Mercurium, id est, virga magica instructum animasque ad Orcum deducentem. Accedit ad hanc utriusque dei similitudinem, quod, quemadmodum uterque laetae annonae dator erat[296]), ita in religionibus quibusdam etiam Mercurii commercia cum Brimone dea celebrabantur, quam alii Proserpinam, alii Hecaten aut Dianam esse credebant[297]).

Haec igitur numina erant, quibus quum in universum dii terrestres omnium rerum satores et finitores essent[298]), in priscis Graecorum religionibus psychopompi munera adsignabantur. Cum iis imago Leti daemonis, quem Hesiodus primus homines occidentem induxit[299]), ipsa muneris similitudine videtur commixta esse. Etenim iam Aeschylus Mercurii inferni veluti daemonis letiferi mentionem facit[300]); Euripides autem, qui Diti Pindarico mores Leti Hesiodei insinuat[301]), sane mixtam quandam psychopompi imagi-

294) Plut. Quaestt. Graec. 24: νομίζουσι — ὥσπερ τὰ σώματα τῶν ἀποθανόντων δέχεσθαι τὴν γῆν, οὕτω τὰς ψυχὰς τὸν Ἑρμῆν.

295) Pindar. Ol. IX, 35 (50).

296) Hes. Op. 465. O. Muell. Prolegom. mytholog. p. 335. Schwenck. Quaestt. etymol. p. 112, sq.

297) Vid. Lobeck. Aglaoph. p. 1213.

298) Cf. Schwenck. l. l. p. 112.

299) Theog. 764.

300) Κιγχάνει δέ νιν (Νῖσον) Ἑρμῆς Choëph. 612. Cf. Blomf. ad l. l. Valcken. in Eurip. Hippol. 1442. Spanh. ad Callim. H. in Dian. 69.

301) Naturas Ditis ac Leti ab Euripide quodammodo commixtas esse, inde elucet, quod Letum vocat regem dominumque mortuorum atque manium neque tamen minus ei mores sane tetros et formidolosos tribuit. Ita v. 153:

ΗΡ. ἐλθὼν δ' ἄνακτα τὸν μελάμπεπλον νεκρῶν
Θάνατον φυλάξω.

et v. 1144:

nem conglutinavit, quae insuper gladio armata, simul novum affinxit ritum, quo dii inferni, immolatoris instar, moribundos, crinibus in fronte abscissis, morti consecrarent;

ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα[302]).

Atque tales scenici Orci mores habitusque poetis artificibusque posterioribus amplam affingendi materiem videntur praebuisse, ita ut istam moribundorum consecrandorum actionem non solum Proserpinae tribuerent[303]), sed etiam alios et minutos Orci famulos gladiis exornarent[304]). Non mirum est igitur, quod etiam Charon nonnullis in monumentis, sicuti Deae fatales, gladium gestat praeter solitum malleum[305]). Enimvero Charontem subterraneum quondam portitorem, deinde scenicum psychopompum, plane coaluisse postremo cum natura Orci Letique, atque in meram daemonis letiferi imaginem abiisse, id quum nonnulla veterum testimonia diserte produnt[306]), tum variae loquendi formulae probant. Iam attigimus χαρώνεια sive χαρώνια, antra illa, quorum pestiferae exhalationes homines intrantes morte subita afficiunt; nota est praeterea χαρώνειος θύρα[307]), porta carceris publici, per quam nocentes ad ultimum ducebantur supplicium; notae χαρώνειοι κλίμακες[308]), scalae illae, in quibus figurae infernae, tanquam ex Orco adscendentes, apparebant. Omnibus his loquendi formulis notio Orci Letique subest; quapropter etiam liberti Orcini, id est, testamento manumissi, et senatores, quos Romani, exemplo de libertis Orcinis sumpto, per ludibrium Orcinos vocitaverunt, scriptoribus Graecis ἀπελεύθεροι χαρωνιανοὶ[309]) atque χαρωνῖται[310]) sonant. Elucet, talem sermonis consuetudinem, nisi nauta Acherontico in daemonem letiferum converso, haud facile increbrescere potuisse. At sero id, neque multo ante aetates Alexandrinas

ΑΔ. πῶς τήνδ' ἔπεμψας νέρθεν εἰς φάος τόδε;
ΗΡ. μάχην ξυνάψας δαιμόνων τῷ κυρίῳ.
ΑΔ. ποῦ τόνδε Θανάτῳ φῄς ἀγῶνα συμβαλεῖν;
ΗΡ. τύμβον παρ' αὐτὸν ἐκ λόχου μάρψας χεροῖν.

Praeterea vid. v. 62; 270; 277. Etiam Virgilius pro Dite ponit Letum in Georg. IV, 481:

Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara.

Recte igitur observaverunt veteres, ab Euripide non Letum, sed Orcum gladio armatum in scenam fuisse inductum. Macrob. Saturnal. V, 19. Serv. in Virg. Aen. IV, 694.

302) Ibid. v. 75. Euripidem hoc e Poenis, antiquo tragico, mutuatum, veteres quidam putabant. Serv. l. l. Praeterea cf. Raoul-Rochett. Mon. ined. p. 217. annot. 4.

303) Locis a Monkio ad Eurip. Alcest. v. 74 laudatis (Virg. Aen. VI, 698. Hor. Carm. I, 23, 19. Macrob. Sat. V, 19) adde Stat. Silv. II, 1, 146:

Septima lux: et iam frigentia lumina torpent,
Iam complexa manu crinem tenet Infera Iuno.

Praeterea ob eadem dea nomina defunctorum in poste inferorum inscribi credebant. Lutat. ad Stat. Theb. VIII, 10.

304) In eximio Sarcophago Clusino (Mus. Clus. tab. XIII. Micali l. l. tab. LX) Dea exitialis, quae in eo est, ut e ianua Ditis exeat, praeter facem gerit forficem, quae quid sibi velit, Micalius vidit l. l. tom. III, p. 100. Easdem autem deas crebro invenis gladiis armatas. Vid. ap. Mical. l. l. tabb. CV; CVI. Raoul-Rochett. Mon. ined. tab. XXIV; atque in pictura vasis Apuli, ibid. tab. XXXV, p. 193. sq.

305) Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tab. VIII. (Mical. l. l. tab. CIV, n. 1); XXXVIII. Cf. supra annot. 46.

306) Suid. Χάρων· ὁ Θάνατος. Isidor. Origin. VIII, 11. §. 42. Pluton graece, latine Diespiter, vel Ditis pater, quem alii Orcum vocant, quasi receptorem mortuorum. — Ipse et Graece Charon.

307) Suid. v. χαρώνειος θύρα. Poll. VIII, 102. Hesych. v. χαρώνιον.

308) Poll. IV, 127. Cf. Boettig. Larv. furial. p. 118. sq.

309) Theophil. Institt. II, tit. 24, §. 2.

310) Plut. V. Anton. 15. Cf. Casaub. ad Sueton. August. 35.

invaluisse, hic ipse loquendi usus coarguit, ut qui vix in ullo antiquiori scriptore sit obvius [310 b]).

Quod si nostra argumentatione id effecisse videmur, ut probabile sit, Charuntem portitorem haud ita antiquis temporibus in scenicum psychopompum atque daemonem letiferum abiisse: primum videtur consequi, artificibus Etruscis in Charonte suo nominando ac fingendo non antiquum portitorem, sed scenicum illum atque saevum psychopompum esse obversatum. Quae sententia ut etiam magis patescat, nunc amplius ostendatur necesse est, quatenus Etrusci artifices figuram Charontis scenici vel sint imitati vel potuerint saltem imitari.

Quaerendum est igitur, qualis facies, quae symbola Charonti psychopompo sive ex opinione vulgi sive in scena fuerint attributa. Qua in re quum monumenta Graeca et Romana nos omnino videantur deficere, aliquatenus fortasse damnum resarcire licebit, si attenderimus ad rationem, qua homines alia Orci numina mentibus informaverint. Iuvabit autem, quum psychopompus noster a poetis antiquioribus non in numero deorum, sed daemonum sit habitus, primum inquirere in formas atque instrumenta spectrorum, quibus antiquitas superstitiosa paulatim regna profunda impleverat.

Iam non dubito, quin, qui primi suppliciorum infernorum genera, modos, regiones, accuratius constituerent, nova antiquis monstra addendo, haud exiguum daemonum castigantium numerum in spectacula Orci induxerint eosque variis instrumentis armaverint. Quos si florentissimis antiquitatis Graecae aetatibus rarius ac minus diserte descriptos depictosve invenimus, id potissimum hac de causa accidisse putaverim, quod, adultis tunc artibus litterisque, cultum atque elegans Graecorum ingenium terribiles figuras, quas prioribus aetatibus homines informaverant mentibus, aut omnino respuit aut in mitiores indolique artificiali magis convenientes formas redegit, eas autem imagines, quae non tam ex antiquis religionibus quam ex superstitionibus enatae essent, aut

310 b) Quapropter ex illis loquendi generibus non colligi potest, Charontem letiferum iam in priscis priscorum Graecorum mythis pro magno inferorum mortisque numine fuisse habitum (Cf. O. Muell. Etrusc. II, 100, annot. 71). Imo, quum ex iis, quae attulimus, sane videatur elucere, antiquissimam Charontis formam et notionem nihil aliud quam portitorem respicere, qui serioribus demum aetatibus in daemonem letiferum atque immitem psychopompum sit mutatus, equidem non amplius dubitaverim, quin Χάρος sive Χάροντας, saevus ille raptor animarum, qui etiam hodie inter Graecos popularibus celebratur carminibus, et ipse e mutata illa antiqui portitoris imagine sit repetendus.

Certe Charus multo propius ad Charontem scenicum sive Etruscum quam ad nautam Acheronticum accedit. Nam ille quoque vagatur inter vivos; spectatur in saxa sedens, quam surripiat (Vid. Fauriel. τραγουδ. Ρωμ. II, 2); praesens victimas poscit, sive humanam retinens formam (l. l.) sive in atram transfiguratus volucrem (ibid. 3); surreptas autem animas immitis atque fatali vectus equo per auras abducit (l. l. 4. Cf. omnino Gaeth. de art. et antiquit. tom. V, fasc. 3, p. 3; 13., Ephem. quae inscribuntur Kunstblatt, a. 1836, n. 10 et 11).

Praeterea etiam Charus in pulpitis suas habet partes (Vid. Iken. Eunom. I, p. 15); atque ita multis modis originem suam, i. e. Charontem scenicum, videtur prae se ferre, dum ne minimam quidem portitoris prisci vestigium in recentiori daemonis imagine apparet. Videntur igitur, siquidem testimonio Pauli Lucae aliquid fidei tribuere licet (Vid. supra annot. 260), Aegyptii famam portitoris antiqui sane melius servasse quam Graeci, qui, nomine excepto, de daemone ab origine peregrino nihil retinuerunt, sed eum in imaginem transfiguraverunt, quae ad pri-

parce aut omnino non attigit. Neque tamen non obvia sunt testimonia, unde aliquatenus colligas, qualia sibi spectra inferna profanum vulgus cogitatione effinxerit. Commode enim haec in duas potissimum classes dividuntur; quarum una varia illa atque horrenda belluarum portenta contineat, quae lambendo, circumligando, mordendo, animas sceleratas excruciant. De his quidem iam supra satis dixisse videmur[311]). In altera autem classe ponendi videntur terribiles illi daemones, et ipsi iam supra memorati[312]), qui, quamvis humana praediti figura, tamen atrocitate tam adspectus quam instrumentorum, quibus tormenta animarum puniendarum exercent, satis tremendas agunt partes. Cuiusmodi tortores infernos sane mirum est, quod et Plato et Plutarchus iis potissimum inseruut mythis, quos ab hominibus Asianis sibi traditos affirmant, quum satis sit probabile, talia quaedam spectra, Aegyptiis iam antiquissimis temporibus credita[313]), multo ante Platonem etiam Graecis aeque fuisse nota atque tribunalia inferna, quae arctissime cum suppliciorum exsecutoribus copulata esse, nemo non intelligit. Sed videamus, quomodo Plato infernos illos castigatores nobis depingat[314]).

En species viriles, feroces, igneae, quae animas impias, pedibus manibusque misere cum cervice colligatis, deglubendo tribulisque lacerando horrendum in modum excarnificant. Intelligis igitur, instrumenta quaedam esse tortoribus, quibus membra impiorum dilacerent. Quae qualia nobis sint informanda, accurate docet Plutarchus. Etenim f a b r o r u m i n m o d u m[315]) daemones esse instructos dicit. Armati igitur sunt malleis, forcipibus, uncis, denique toto instrumentorum genere, quae fabris ferrariis sint usui. Nimirum est manifestum, universam hanc tormentorum infernorum rationem ex imagine officinae ferrariae enatam esse. Itaque animae impiae a fabris illis horrendis non solum saevissimis afficiuntur verberibus, verum etiam fluminibus igneis varioque metallo fluentibus, tanquam fornacibus liquatoriis, immerguntur, atque adeo, incudibus impositae, cudendo in novas prorsus figuras mutantur[316]).

scas ipsorum de diis infernis opiniones sane propius quam ad portitorem Aegyptium videtur accedere.

311) Vid. supra annott 123—130.

312) Vid. supra annott. 131.

313) Cf. Champoll. l. l. epist. XIII, p. 233, sq.

314) Plat. Rep. X, p. 615, fin.: Ἐνταῦθα δὴ ἄνδρες, ἔφη, ἄγριοι, διάπυροι ἰδεῖν, παρεστῶτες καὶ καταμανθάνοντες τὸ φθέγμα, τοὺς μὲν διαλαβόντες ἦγον, τὸν δὲ Ἀρδιαῖον καὶ ἄλλους συμποδίσαντες χεῖράς τε καὶ πόδας καὶ κεφαλήν, καταβαλόντες καὶ ἐκδείραντες, εἷλκον παρὰ τὴν ὁδὸν ἐκτὸς ἐπ' ἀσπαλάθων κνάπτοντες, καὶ τοῖς ἀεὶ παριοῦσι σημαίνοντες ὧν ἕνεκά τε ταῦτα ὑπομένοιεν καὶ ὅτι εἰς τὸν τάρταρον ἐμπεσούμενοι ἄγοιντο κτλ.

Similia de tortoris Aegyptiis narrat Champoll. l. l. p 235: les unes (ames coupables) sont fortement liées à des poteaux, et les gardiens de la zone, brandissant leurs glaives, leur reprochent les crimes qu'elles ont commis sur la terre. Cf. p. 234: A chaque zone et auprès des suppliciés on lit toujours leur condamnation et la peine qu'ils subissent.

315) Plut. de ser. num. vind. tom. X, p. 273: καί τινας ἐφεστάναι δαίμονας, ὥσπερ οἱ χαλκεῖς, ὀργάνοις ἀναλαμβάνοντες καὶ καθιέντας ἐν μέρει τὰς ψυχὰς τῶν δι' ἀπληστίαν καὶ πλεονεξίαν πονηρῶν κτλ.

316) Plut. l.l. p. 273: τὰς ἐπὶ δευτέραν γένεσιν τρεπομένας ψυχάς, εἴς τε ζῶα παντοδαπὰ καμπτομένας βίᾳ καὶ μετασχηματιζομένας ὑπὸ τῶν ταῦτα δημιουργούντων ὀργάνοις τισὶ καὶ πληγαῖς, τῶν μὲν ὅλα τὰ μέρη συνελαυνόντων, τὰ δ' ἀποστρεφόντων, ἔνια δ' ἐκλεαινόντων, καὶ ἀφανιζόντων παντάπασιν, ὅπως ἐφαρμόσειεν ἑτέροις ἤθεσι καὶ βίοις.

Genera suppliciorum infernorum, cumulatis undique superstitionibus, immane quantum adaucta significat etiam Virgil. Aen. VI, 625:

Quod si constat, inde a Platonis saltem aetate id genus carnificum Orco fuisse illatum, facilius est ad intelligendum, qua via, ut cetera monstra, quorum in antiquioribus Graecorum carminibus mentio fiebat, ita Cyclopes quoque sensim sensimque in spectra inferna abierint. Certe Silius eos ceteris Orci portentis consociat[317]). At multo ante id factum esse, e memorabili loco Callimachi[318]) collegerim. Hic enim, Cyclopes haud dubie in numero eorum terriculorum ponens, quibus vocandis vocatisque nutrices liberis obstinatis terrorem incutere solebant, fabris Mercurium inferum ita adiungit, ut, illis a matre invocatis, subinde hic, tanquam unus ex operis fabrilibus Vulcani, fuligine obsitus prodeat puellamque exterreat. Intercedebant igitur ex opinione, quae tunc temporis obtinebat, commercia quaedam inter Mercurium inferum et Cyclopes. Quae qualia fuerint, facile est ad suspicandum, quum Mercurius et ipse tunc in terriculamentis infernis haberetur. Enimvero exorta semel superstitione, qua igneos Orci ministros fabrorum in modum armatos in animas sceleratas saevire crederent, non potuit fieri, quin iis Cyclopes quoque, antiqui Vulcani famuli, ob opificii habitusque similitudinem accenserentur, atque postremo et ipsi in Orcum accirentur.

Praeterea, quod ad ipsos inferni mundi deos attinet, elucet, Mercurium Callimacheum, qui, vocatis Cyclopibus, veluti ex officina ferraria prodeat, ex sententia poetae instrumento quodam fabrili instructum esse, id quod Spanhemius iam observavit. Quo perspecto, manifestum est, Callimachi Mercurium proxime accedere ad Tertullianeum, qui, non fuligine quidem obsitus, sed, sicuti Charon nonnullis in monumentis[319]), calvitio foedus, tanquam carnifex infernus, moribundos gladiatores cauterio probat. Neque una saltem causa non videtur sublucere, cur malleus fabrilis etiam Diti sit attributus. Nihil enim obstat, quominus, quum Mercurius in numero terriculamentorum haberetur instrumentoque fabrili sive tormento instrueretur, etiam Ditem similes suscepisse partes credamus. Quemadmodum igitur similitudo quaedam carnificinam infernam inter et officinam ferrariam intercedit, ita famuli Vulcani et Orci fabri, atque adeo Dis et Mercurius ipsi, si faciem armaque fabrilia sola spectas, sane vinculo quodam affinitatis videntur copulati fuisse, id quod Panofkam, virum clarissimum, fortasse adduxit, ut Charontem Etruscum et Acmonidae Cyclopi propinquitate quadam coniunctum et Vulcani atque adeo Saturni filium esse vellet[320]).

Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnia scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.

Atque Champollin l. l. de infernis Aegyptiorum suppliciis prorsus similiter iudicat:

C'est véritablement là le type primordial de l'Enfer du Dante, car la variété des tourments a de quoi surprendre. Cf. supra p. 41.

317) Sil. XIII, 439:

Ecce ruunt variae species, et quicquid ab imo
Natum hominum extinctumque Chao est. Iam cuncta videbat:
Cyclopas, Scyllamque et pastos membra virorum
Odrysiae telluris equos.

318) Callim. H. in Dian. 67:

Ἀλλ' ὅτε κουράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχοι,
Μήτηρ μὲν κύκλωπας ἑῇ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ,
Ἄργην, ἢ Στερόπην· ὁ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο
Ἔρχεται Ἑρμείης, σποδιῇ κεχρημένος αἰθῇ·
Αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται.

319) Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tab. XVII. Cf. supra p. 47, annot. 278.

320) Panofk. in Annal. I. A. IV, p. 396: Si Hésychius explique Ἀκμονίδης par ὁ Χάρων, Cha-

At vereor, ne externa quaedam nominum symbolorumque similitudo res atque numina satis diversa commiscuerit, neve Hesychii loci, quibus sententia amici nostri nititur, prorsus aliam interpretationem admittant. Primum enim satis est notum, patronymicum *'Ακμονίδης* inde a perantiquis temporibus Coeli fuisse epitheton. Coelum Acmonis esse filium, Alcman dixisse fertur[321]); atque accuratius, siquidem scholiastae Simmiae fides, Hesiodus ediderat, Tellurem peperisse Acmonem, ab Acmone autem Coelum esse procreatum[322]). Quo mytho theologos antiquos spectasse indefessos coeli motus, Eusthatius[323]) est auctor. Quicunque autem hanc invenit genealogiam, certum est, ex usu poetarum id agnomen potissimum convenire Coelo, quippe qui, Hesiodo et Alcmane praeeuntibus, etiam ab Antimacho, Callimacho, Simmia[324]), eodem significetur epitheto. Praeterea ceteros quoque coelicolas ab antiquis quibusdam scriptoribus Acmonidas appellari, Eusthatius tradit[325]). Quibus perspectis, iam est manifestum, et Hesychii[326]) verba *"Ακμονος γὰρ παῖς* non ad *'Ακμονίδης· ὁ Χάρων*, sed solummodo ad *'Ακμονίδης — — καὶ ὁ Οὐρανὸς* pertinere, neque in secundo Hesychii[327]) loco *ἄκμων* agnomen sensu genealogico tribuendum esse Saturno; quippe cui, etiamsi vulgatam Hesiodi genealogiam solam respexeris, summum deberetur patronymicum *'Ακμονίδης*. Quapropter tam Saturnus quam Charon, quatenus huic patronymicum *'Ακμονίδης*, illi agnomen *ἄκμων* competit, ex genealogia ab Hesiodo vel Alcmane condita, prorsus videntur eximendi; nec ullo modo ex illis utriusque agnominibus colligi potest, Coeli sobolem et

son, fils d'Acmon, c'est-à-dire de Cronos, nous n'avons qu'à examiner les sarcophages étrusques, où Charon se présente réellement armé du marteau, pour comprendre la justesse de cette interprétation. Cf. ibid. V, p. 286: Le séjour dans l'intérieur de la terre étant commun à Vulcain et à Pluton, on comprend facilement, pourquoi le personnage infernal Charon est appelé un Acmonide, c'est-à-dire fils d'Acmon.

321) Eusthat. ad Il. XVIII, v. 410, p. 1150: *ὡς δὲ "Ακμονος ὁ Οὐρανὸς ὁ 'Αλκμὰν, φασὶν, ἱστορεῖ.* Apud Welcker. Alcman. Fragm. CXIX. Atque haud scio an ita sit legendum ap. Eudoc. (Viol. p. 26) pro *ὡς δὲ ἄκμων ὁ οὐρανός*, quum locus ad Alcmanis genealogiam, ab Eusthatio traditam, videatur respicere.

322) Schol. in Simm. Al. 1: *'Ακμονίδαν δὲ τὸν Οὐρανὸν. 'Ησίοδος· Γαῖα μὲν "Ακμονα ἔτικτεν· ἀπὸ δ' "Ακμονος Οὐρανός.* Cf. Herm. Opusc. VI, p. 271.

323) l. l. *ἐνθυμητέον καὶ ὡς ὁ τοῦ Κρόνου πατὴρ "Ακμων ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῆς τοῦ οὐρανοῦ, φασὶν, ἀκαμάτου φύσεως, αἰνιττομένων τῶν θεολόγων τὸ ἄκμητον αὐτοῦ τῆς περιφορᾶς.* Et ibid. p. 1154: *"Ακμων δὲ ὅτι καὶ ὁ τοῦ Οὐρανοῦ, ὡς ἐῤῥέθη, λέγεται πατὴρ διὰ τὸ ἀκάματον τῆς οὐρανίου κινήσεως, ἀφ' ἧς ἐννοίας καὶ ὁ "Ατλας εἴληπται, καὶ ὅτι 'Ακμονίδαι οἱ Οὐρανίδαι, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί.* In priori Eusthathii loco pro *Κρόνου* legendum esse *Οὐρανοῦ*, iam admonuit Schellenberg. Antim. fragm. XXIV, p. 73.

324) Antim. ap. Plut. Quaestt. Rom. tom. VIII, c. 42, p. 338; ap. Schellenberg. l. l.

Λέχριε δὲ δρεπάνῳ τέμνων ἀπὸ μήδεα πατρὸς
Οὐρανοῦ 'Ακμονίδεω λάσιος Κρόνος ἀντιτέτυκτο.

Callim. in Etym. M. 49, 46; ap. Ernest. fragm. CXLVII:

"Ακμων σημαίνει τόν τε σίδηρον, ἐφ' ᾧ οἱ χαλκεῖς τύπτουσι, καὶ τοῦ Οὐρανοῦ τὸν πατέρα. Οὕτω γὰρ αὐτὸν γενεαλογοῦσι. Καλλίμαχος
τῷ περὶ δινήεντ' 'Ακμονίδην ἔβαλεν.

Simm. In Al. v. 1: *Λεῦσσέ με τὸν Γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ', 'Ακμονίδαν τ' ἄλλυδις ἑδράσαντα.*

Aliter se habet locus ap. Tzetz. Hom. 274:

'Αυτίκ' ἀνὰ μέγαν οὐρανὸν ὦρσε φερέσβιος "Ηρη
"Ακμονος ἀκαμάτοιο ἑὸν γόνον ἐμπεδόμοχθον·

Cf. Lobeck. ad Sophocl. Aiac. v. 814, p. 331.

325) l. l. p. 1154.

326) *'Ακμονίδης· ὁ Χάρων· καὶ ὁ Οὐρανός. "Ακμονος γὰρ παῖς.*

327) *"Ακμων· ἀπαθής· Κρόνος· οὐρανός· ἢ σίδηρον, ἐφ' ᾧ ὁ χαλκεὺς χαλκεύει.*

satellitem Orci a theologis vinculo quodam propinquitatis inter se fuisse coniunctos. Genealogiam autem illam forsitan aliquis ad eas pertinuisse theogonias existimaverit, quibus rerum principia a terra et aqua derivarentur, ita ut, Oceano a Tellure edito, deinceps ab utroque Coëlus videretur procreatus. Nam re vera Oceanus, iam Homero θεῶν γένεσις, et ipse a poetis cognominabatur Acmon [328]). Neque tamen non hoc Oceani epitheton a perenni aquarum meatu sumptum esse, veteres videntur iudicasse. Quod quum ita se habeat, rem sane dubiam in ambiguo relinquamus, praesertim quum multa conspirent, unde Oceani agnomen a veteribus interpretibus haud incongrue explicari, iure colligas.

Nemo enim ignorat, vocabulum ἄκμων omnino in quamlibet quadrare naturam, quae infatigabili animi corporisque vigore ac robore sit praedita. Itaque et ille Coeli genitor, quisquis fuit, et coelum ipsum, Oceanus, Hercules [329]), denique bellatores indefessi [330]), omnes eadem ex causa eodemque iure poetis sonant Acmones.

Sed qui nullo labore defatigetur neminique cedat, is durus aut est aut esse potest; quapropter vocabulo ἄκμων altera accrescit notio, ab Hesychio observata [331]) quae, sicuti apud Romanos saxum ad animi duritiam pertinet. Quibus notionibus vocabuli perspectis, quum neque Saturnus sit Coeli pater neque portitor infernus coelicolis immisceri queat, facile videtur ad intelligendum, unde et huius et illius agnomen emanaverit. Nempe, praetermissa omni omnino remotiori genealogia, aut utrique agnomen ob animi duritiam competit, id quod sane in utrumque valebit, aut, relicta Saturno duritiae nota, Charonti, crudo viridique seni, propter infatigabile robur perennemque laborem. Nihil ergo est, quantum quidem ad genealogiam, aut Saturno cum Charonte, aut utrique cum Dis Palicis Cyclopibusve; atque officina illa,

candens ubi tingere ferrum
Brontes et Steropes Acmonidesque solent [332]),

prorsus diversos exercet daemones, et ipsos quidem terribili facie armisque fabrilibus instructos, atque, ut vidimus, in terriculamentis habitos,

— — κείνους δὲ καὶ αἱ μάλα μηκέτι τυτθαὶ
οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες [333]),

at his flammarum nominibus si quis serior poeta Acmoniden immiscuit, profecto non illam, quam ostendimus, translatam incudis notionem spectavit, sed naturalem, sicuti daemonibus igni officinaeque ferrariae addictis, nomina similia ab instrumentis fabrilibus sumpta, v. c. Acmon, Pyracmon, Passalos, alia id genus, indebantur [333b]). Quod quum ita se habeat, quis dubitet, quin Acmonides cyclops et Charon Etruscus, daemones origine et natura tam ipsorum quam agnominum satis, opinor, diversi, omnino sint seiungendi.

Quamquam igitur difficile est ad demonstrandum, Charontem Etruscum ex sententia veterum ratione quadam genealogica cum deo daemoneve aliquo Graeco coniunctum fuisse, tamen haud item dubitaverim, quin forma eiusdem, sicuti provincia, quo-

328) Eustath. l. l. p. 1150: Ἄκμων δέ, φασι, καὶ ὁ Ὠκεανός, ἐπεὶ καὶ οἱ ποταμοὶ ἀκάματοι.
329) Callim. H. in Dian. v. 148: Τιρύνθιος ἄκμων.
330) Aeschyl. Pers. v. 51.
331) Ἄκμων· ἀπαθής.
332) Ovid. Fast. IV, 287.
333) Callim. H. in Dian. 64.
333b) Cf. etiam Schwenck. l. l. p. 172; 174.

dammodo e figuris daemonum infernorum, quos serior Graecorum superstitio tremebat, conflata fuerit. Certe non casu quodam accidere potuit, ut figura daemonis nostri tot lineamenta prae se ferat, quae eadem in ceteris monstris inveniuntur, quibus superstitio popularis vestibula ac penetralia regni profundi compleverat.

Primum enim vidimus, neque malleum neque gladium infernis Graecorum daemonibus defuisse[334]); hunc quidem iam Euripideus gestaverat Orcus; illo autem animas nocentes a tortoribus infernis excruciari, homines, si nihil aliud, inde a Platonica saltem aetate opinabantur. Atque idem instrumentum non solum in Etruscis monumentis Furiis Poenisque est attributum, verum conspicuus est etiam in celebri vase Rubustino, i. e. Apulo, tortor quidem infernus, qui, malleo munitus, Ixioni rotae infixo una cum Furiis adstat[335]).

Praeterea Graecam daemonis originem etiam color ater atque dentes exserti et alae, quas iam Euripides Orco tribuerat[336]), significant. Neque tam angues erecti, quibus nonnullis in monumentis Charontis caput circumligatum est, quam cothurni, non facile e notu Furiarum habitu derivari potuerunt[336b]).

Deinde ne nasum quidem aduncum a Graecis daemonum infernorum imaginibus prorsus fuisse alienum, pictura illa vasis Apuli, de qua supra verba fecimus, abunde docet[337]). Neque difficile est ad divinandum, cur artifices, qui poenas infernas daemonesque punientes repraesentabant, tortores illos naso adunco et praegrandi donaverint, quum omnibus sit notum, ex sententia veterum hanc corporis partem sedem fuisse irae atque irrisionis[338]); quae et grandior et foedior quam bene iis convenist, quos ira insatiabili peccatores persequi credidit antiquitas, nemo est qui non intelligat.

Denique, si praeterea Charontem interdum calvitio deformem conspicimus[339]), meminisse iuvabit Mercurii Tertullianei, ne dubitemus, quin illud quoque lineamentum ex illis desumptum sit comoediis mimisve, in quibus daemones inferni per lusum ac ludibrium, tanquam servuli scurriles, capite raso producebantur. Certe inter imagines scurriles, quas Ficoronius publici iuris fecit, plures conspiciuntur[340]), quas, quantum ad formam capitis, haud incongrue cum daemone nostro comparaveris. Enimvero mirum in modum calvitio, naso adunco, dentibus exsertis, auribus, non prorsus quidem ferinis, sed ingentibus et flaccidis, deformes sunt atque deturpatae, ita ut genuinam turpitudinis atque stultitiae imaginem referre tibi videantur. Cuiusmodi figuras sane proxime ad ridiculas accedere larvas, quibus personas quasdam comicas exornarunt veteres, non te fugiet, si attenderis ad modum, quo larvae comicae a scriptoribus describuntur. Nam eadem fere lineamenta, quae modo et in Charonte et in figuris scurrilibus, quae apud Ficoronium exstant, observavimus, i. e. caput rasum, nasus aduncus sive collisus, dentes exserti, aures contusae flaccidaeve, etiam in personis quibusdam comicis inveniuntur[341]).

334) Cf. supra annott. 302—305; 314—316.

335) Raoul-Rochett. Mon. ined. tab. XLV.

336) Eurip. Alcest. 270; 833, ubi Scholiasta haec adnotat: *μελάμπεπλον· εἰδωλοποιεῖται μελαίνας πτέρυγας ἔχων ὁ θάνατος.* Cf. Raoul-Rochett. l. l. p. 217. annot. 3.

336b) Cf. supra annott. 18; 39; 40.

337) Cf. supra annot. 283.

338) Vid. Hemsterh. ad Poll. IV, 148. p. 1132.

339) Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tab. XVII. Cf. supra annott. 17; 275; 319

340) Ficoron. Larv. scenic. tab. IX, p. 26.

341) Poll. IV, 144, sq. Cf. Terent. Heaut. V, 5, 17.

Consideratis his lineamentis, quorum haud exigua pars sane Graecorum sive tartara sive pulpita redolet, vix dubitaverim, quin ii, qui omnia ea in unam conglobavere imaginem, id potissimum egerint, ut terribilem quandam inferni mundi naturam quam foedissime figuratam depingerent. Quod si a probabilitate non abhorreat, non mirum est, quod artifices Etrusci, ut ferocem Charontis naturam etiam magis efferarent eumque habitu prorsus belluino exornarent, eidem insuper aures ferinas tribuerunt, quibus etiam saeva Telluris progenies in monumentis Etruscis est praedita [342]).

Neque mihi videor non divinare morem quendam Italicum, quo forsitan adducti artifices Etrusci Charontem hircinis donaverint auribus. Dionysius enim in loco notissimo, ubi de variis civium, saltatorum, aliorum, ordinibus chorisque agit, qui in pompa Circensi ducebantur, hoc etiam addit [343]): Sese in funeribus clarorum virorum praeter ceteras pompas etiam choros conspexisse satyricos, qui lectum funebrem praecedentes sicinnium saltarent. Cuiusmodi choros et mimicos fuisse et cavillatorios, ita ut spectantibus risum moverent, inde apparet, quod scriptor eos cum circensibus Silenorum Satyrorumque choris comparat, qui quidem serios armatorum motus ridicule imitando ludibrio habebant [344]). Ea autem consuetudo funebribus clarorum virorum pompis ludios mimosque immiscendi, qui facetiis gestibusque ridiculis in re sane seria ioca agerent, non modo aetate Augustea nondum erat obsoleta, verum etiam, sicuti omnes caerimoniae, quae e sacris essent profectae, haud dubie perdiu obtinebat. Certe etiam in Vespasiani funere aderat pompa mimorum, qui, si quid e specimine a Suetonio [345]) allato colligi licet, non solam rem funebrem, verum etiam ipsum defunctum ludibrio habebant. Neque hunc morem secundo desiisse seculo, ipsa scriptoris verba submonent [346]). Quodsi constat, ludios quosdam mimosque, qui funebrem praecedebant lectum, sub personis Silenorum Satyrorumque partes egisse, sane dubitari nequit, quin iidem hircinis fuerint instructi auribus, id quod Dionysius ipse videtur significare [347]).

Praeterea est notum, dominos defunctos nonnunquam a servis manumissis elatos esse [348]); atque in hoc munere obeundo haud scio an partes quaedam Aethiopibus interdum commissae sint, tum quia inter Romanos magnificum erat, servos eius gentis habere [349]), tum quia ex sententia veterum ipse Aethiopum color atque habitus funereum aliquid spirabat, quapropter etiam iis, qui magna molirentur, detestabile erat omen,

342) Mon. I. A. tom. II, tab. IV, Cf. Oriol. in annal. I. A. tom. VI, p. 157.

343) Dionys. Antiq. Rom. VII, 72: *εἶδον δὲ καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγουμένους τῆς κλίνης τοὺς σατυριστὰς χοροὺς κινουμένους τὴν σικίννιν ὄρχησιν, μάλιστα δ' ἐν τοῖς τῶν εὐδαιμόνων κήδεσιν.* Cf. Gell. XX, 3.

344) ibid. *οὗτοι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις, ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες.*

345) Sueton. v. Vespas. 19. Cf. v. Tiber. 57.

346) — Archimimus personam eius referens, imitansque, ut est mos, facta et dicta viri etc.

347) ibid. *σκευαὶ δ' αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μὲν εἰς Σειληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους· τοῖς δ' εἰς Σατύρους, περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι, καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια.*

348) Kirchm. de. fun. Rom. lib. II, p. 172.

349) Vid. interprett. ad Tibull. II, 3, 55. Terent. Eun. I, 2, 85.

Aethiopi occurrere [350]). Ita Aethiopes sunt adhibiti ad funus celebris illius corvi, qui, summo populi Romani dolore, a sutore quodam exanimatus, constrato super duorum Aethiopum humeros lectulo, splendidissime est sepultus; atque id quidem accidit Tiberio principe, M. Servilio, C. Cestio, consulibus, i. e. anno DCCLXXXVIII ab urbe condita [351]), qua quidem aetate, subacta Aethiopia ante annos amplius quinquaginta a C. Petronio, qui praefecturam Aegypti anno DCCXXVIII iniit [352]), usus servorum Aethiopicorum certe iam frequentior erat et Romae et per Italiam.

Atqui profecto res est mira, quod in illa funebri sepulcri Tarquiniensis pompa, quam sero neque ante principatum pictam esse Oriolius vel ex sola pingendi ratione recte collegit [353]), duas conspicimus figuras, quae, quantum ad colorem atque faciem, sine ulla dubitatione, Aethiopes sunt existimandae, dum hircinae earum aures atque mallei et expressus pellis ferinae unguis ad notas Charontis imagines pertinent. Numne dubitas, quin facies atque color istiusmodi Charontis de forma et colore Aethiopum sit repetitus, qui funebrem lectum aut praecederent aut efferrent? Quodsi concedendum est, figuram huius Charontis haud dubie profectam esse ex habitu servulorum, qui in defuncto efferendo habebant partes: sane videtur sublucere, unde in universum sint repetendae hircinae Charontis aures; nempe, opinor, de persona satyrica illorum ludiorum, qui clarorum virorum lecticam solebant praecedere, quibusque haud scio an ipse Charon, tanquam designator, sit adsociandus.

At vero tali imagine, sive scalpro sive penicillo repraesentata, oculos intuentium perstringere, id profecto non erat artificum, qui, subtili atque tenero pulchri venustique sensu praediti, optime habebant perceptum, non quamlibet figuram, quae in carmine sive verbis tenus recitando sive in scena agendo bene se haberet, etiam sculpturae picturaeque argumentis inseri posse. Itaque terribiles figuras Cerberi, Furiarum, Dearum exitialium, Leti, aliorum monstrorum, quibus aut poetae antiqui aut serior superstitio vacua Ditis regna anxerant, paullatim in mitiores redigebant formas; neque dubitaverim, quin Polygnotus et ipse Eurynomi figuram multo mitiorem reddiderit, quam Delphica religio informasset; neque verisimile est, post Scopae Praxitelisque aetatem, quamvis florentibus superstitionibus, aut multos aut magnos exstitisse artifices, qui in fingendis monstris infernis tempus et artem consumerent, etsi libenter concesserim, Graecis quoque suos fuisse pictores sestertiarios, qui, sicuti hodie per Italiam assolet, plebeculae paucis obolis parietes integris illinerent tartaris [354]). Quae quum ita se habeant, profecto nemo mirabitur, quod Charontis Etrusci figuram in nulla conspicimus pictura sculpturave, quae genuinam artium Graecarum indolem prae se ferat.

350) Vid. Casaubon. in Spartian. v. Sever. c. 22. Plut. v. Brut. c. 48.

351) Plin. H. N. X, 60.

352) Vid. omnino Labusium p. 88. sq. in opusculo, cuius titulus est: Di un' epigrafe latina scoperta in Egitto dal viaggiatore G. B. Belzoni e in occasione di esse dei prefetti di quella provincia da Ottaviano Augusto a Caracalla dissertazione del Dottore Giovanni Labus. Milano, dalla tipografia de Fratelli Sonzogno. MDCCCXXVI.

353) Cf. supra annot. 172.

354) Cf. supra annot. 156.

Verum enimvero multo aliter res sese habet in operibus Etruscis, praesertim quum tot monumenta Etrusca non magnis artificibus sed operis provincialibus debeantur[355]), id quod in diiudicanda operum Etruscorum indole semper mihi visum est maximi esse momenti. Quid enim? Elucet, alia ratione argumenta et eligi et tractari ab eo artifice, qui, subtili pulchri sensu praeditus, insuper regulas artis prorsus sibi perceptas habeat, alia autem ab illo, qui, neque ingenii dotibus neque praeceptis artis satis bene instructus, nihil aliud quam in imitandis aliorum operibus operam suam collocet. Atque id genus artificum haud scio an semper et ubique in eo potissimum peccet, quod quaecumque in poeta aliquo descripta legerit, nulla ratione diversi diversarum artium ingenii habita, bona fide in suam convertat artem. Ad quod quum insuper accedat artis imperitia, fieri non potest, quin tales artifices in argumentis, quae non tam ex sensu quam ex verbis poetarum sibi exsequenda eligunt, plerumque non mediocriter a pulchritudine atque decoro aberrent, et tam in dispositione totius argumenti, quam in singulis figuris delineandis mirifice peccent; id quod in monumentis Etruscis plus semel accidisse, neminem fugit.

Accedit autem ad haec immitis quaedam atque rigida gentium Italorum natura, qua duce certe multo minus quam Graeci adspectus terribiles et deformes evitarent[356]). Populus, qui crepitantem dentibus Manduci figuram, Citeriam, alia id genus, in pompa vehebat[357]); qui Maniarum Larvarumque religionem colebat[358]); cuius sacerdotes ipsi partes daemonum infernorum suscipiebant[359]): populus ille, cuius monumenta plena sunt argumentis tristibus horrendisque, quae re vera consilio quodam atque studio videntur selecta esse: ille igitur populus certe accepta tenebat argumenta, quae humanum atque elegans Graecorum ingenium coloribus marmoreve expressa aut raro aut artis saltem ingenio mitigata ante oculos ponebat. Neque, prolata in medium haud exigua serie monumentorum, quae omnia magis minus tartara Graeca videantur resipere, amplius dubitaverim, quin artifices Etrusci et crebro et cum studio quodam horrendas illas figuras sibi fingendas sumpserint, quarum formas, ex antiqua Graecorum superstitione profectas, usus scenicus etiam terribiliores reddiderat.

Forsitan autem praeter universum illum rerum superstitiosarum amorem aliae accesserint causae, quibus adducti Etrusci tam crebro Charontis imaginem in monumentis sepulcralibus adesse vellent. Suspicari enim licet, naturam daemonis atque formam, qualis tum in pulpitis Graecis erat figurata tum in operibus Etruscis comparet, deo daemonive cuidam Etruscorum proprio aliquatenus respondisse. Nec ita temere videtur refutanda viri celebris sententia, qui in daemone nostro fortasse Mantum esse agnoscendum indicavit[360]). Cui quidem sententiae non eam ob causam saltem obrogari possit, quod Mantus apud Etruscos deus magnus sit habitus, ut qui Diti Graecorum re-

355) Vid. Uhden. in comment. Berol. 1827. p 211.

356) Vid. omnino sententiam O. Muelleri Etrusc. II, p. 223. Archaeol. p. 182, §. 178.

357) Fest. v. Manducus, Citeria. Cf. O. Mueller. Etrusc. II, p. 101. Hartung. Relig. Rom. I, 71.

358) Vid. O. Mueller. l. l. p. 101, sq. Hartung. l. l. p. 63. sq.

359) Vid. Sigon. et Gruter. ad Liv. VII, 17.

360) O. Mueller. l. l. II, p. 99, sq. Cf. supra annot. 182.

sponderit; Charon contra deorum minutorum numero accenseatur[360b]). Enimvero provincia, natura, mores, quos portitor inde ab iis induit aetatibus, quibus scenicus evaserat psychopompus, eum, ut supra vidimus, magnis inferni mundi numinibus persimilem reddiderant. Nec facile foret ad demonstrandum, Etruscos in Charonte suo contemplando non Mantum cogitatione complexos esse. Quos quidem scrupulos facilius nobis evelleremus, si satis constaret, qualis fuerit Manti natura, forma, munus. Cui deo si vere quaedam officia et psychopompi et tortoris iniuncta fuissent, facile foret ad intelligendum, quam ob causam Etrusci ei non Letum vel Mercurium vel Ditem, sed scenicum potissimum Charontem substituerint. At vero id quum ex illa notitia, qua Mantum respondere Diti edocemur[361]), non solum non iure colligi queat, verum etiam videatur sublucere, Etrusco regni inferni arbitro nihilo magis quam Diti quidquam fuisse cum inferna animarum carnificina: de ea re sane quam cautissime iudicatum velim, praesertim quum minime sit dubium, quin Etruria, omnium superstitionum mater atque genitrix, etiam sua tartara multiplicibus repleverit daemonibus, quorum uni alterive noster Charon sane persimilis esse potuit[362]).

Quod quum ita se habeat, haec quidem quaestio, cuinam deo daemonive Etrusco psychopompus noster respondeat, in medio videtur relinquenda, donec monumenta recens eruenda ad rem altius investigandam nova atque certiora suppeditent argumenta, id quod, quum in agris Caeretanis, Clusinis, Tarquiniensibus, Vulcentinis, Volaterranis, aliis, quotidie fere sepulcra effodiantur, unde antiquitati Etruscae sive Romanae sive Graecae aliquid lucis afferatur, profecto cum fiducia quadam sperari licet.

Nos autem, donec nova monumenta nostram de Charonte Etrusco sententiam aut novis argumentis amplificaverint, aut — quod in re non ita certa facile possit evenire — antiquaverint, non pro certo sed pro simili saltem veri habeamus, figuram provinciamque daemonis, ex antiqui portitoris officio sensim enatam, primum inter Graecos et id quidem in pulpitis scenarum emersisse, sculpturae autem et picturae nisi apud Etruscos non fuisse argumento.

360b) Cic. N. D. III, 17. Eustath. ad Odyss. XX. 302 p. 1666, 37.

361) Serv. ad Virgil. Aen. X, 198: Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant, etc.

362) Ita apud Romanos deus quidam infernus colebatur, quem haud scio an aliquatenus cum daemone nostro conferre liceat. Haec enim Cyprian. de idolor. vanit. med. nobis tradit: „In tantum vero Deorum vacabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos et Viduus Deus, qui anima corpus vidaet; qui quasi feralis et funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur, et nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur.“ Praeterea cf. Hartung. Relig. Rom. II, p. 90.

EXPLICATIO TABULARUM.

DE TABULA PRIMA.

Illustrata Charontis Etrusci figura, provincia, indole, origine, nunc duo illa memorabilia vasa Musei Regii Berolinensis, quorum iam supra saepius mentionem fecimus, paulo accuratius sunt nobis contemplanda. Prima quidem tabula duas exhibet figuras, quibus latera crateris Vulcentini[363]) decorata sunt. Distinguuntur autem ambae vasis partes ramulis oleaginis, qui etiam os crateris ita ambiunt, ut spatia, in quibus nostrae figurae conspiciuntur, tam superne quam utrinque foliis illis sepiantur[364]).

Iam prima imago, quod ad formam capitis malleumque attinet, simillima est iis Charontis figuris, quas in haud exiguo anaglyphorum numero comparere, iam supra ostendimus[365]). At vero singulari vestimento, quo induta est, prorsus ab illis recedit. Vestitus enim est daemon in pictura nostra non simplici duplicive tunica, ut in anaglyphis assolet, sed veste molli atque muliebri, quae proxime ad eam accedit, qua mulier in aversa vasis parte amicta est, praeterquam quod non prorsus usque ad talos defluit, sed paulo succinctior ultra medias suras desinit. Talaris igitur est tunica, sine manicis, in utroque humero fibulata cinctaque sub pectore. Imae eius orae notis albis nigrisque invicem succedentibus variegatae sunt, atque paulo supra, in ipso genu dextro, magna septem radiorum stella est conspicua. Praeterea noster daemon in utroque humero infulas in pectore decussatas, in capite autem coronam gerit, cuius folia albo sunt colore, atque haud scio an et ipsa oleagina putanda[366]). Alteram corollam, non floribus frondibusve, sed, opinor, gramine[367]) factam sinistra tenet manu, dum dextra manubrium mallei, in humero dextro repositi, gestat.

Eadem vestimenti specie mulier in aversa vasis parte est induta, praeterquam quod eius tunica usque sd talos descendit. Neque corona, quam et ipsa in capite gerit, a Charontis recedit. Laeva autem manu monile tenet, tribus ornamentis, fortasse

363) Vasis altitudo digitorum est $15\frac{1}{2}$; diameter 12. Cf. Gerhard. Mus. Reg. Berol. mon. rec. aquis. p. 47. Ceterum quod ad figurarum staturas et lineamenta attinet, tabulae nostrae ad veritatem picturarum summa sunt fide expressae.

364) Vid. formam vasis, quam dedimus sub n. 3.

365) Vid. supra p. 4; 6.

366) Vid. infra annot. 372.

367) Serta graminea adhibita ad funera habes ap. Stat. Theb. VI, 57:

Proxima gramineis operosior area sertis,
Et picturatus morituris floribus agger.

crepundiis[368]), instructum; dextra thyrsum vittis ornatum sustinet. Ceterum haec mulier, dum Charon comparet calceatus, simplicissimis induta est soleis.

Consideratis his utriusque imaginis formis, vestitu, symbolis, non dubium videtur esse, quid ait de nostris figuris statuendum, sive singulas per se sive communis argumenti vinculo coniunctas contempleris. Etenim Charon quidem haud dubie in hac quoquo pictura letifer ille apparet psychopompus, quem nobis tot sarcophagorum anaglypha atque picturae tum vasis Beugnotiani tum sepulcri Tarquiniensis exhibent. Nihilo tamen minus et universus eius habitus et imprimis singularis amictus atque insuper indolea mulieris, quae in altero vasis latere comparet, satis ostendunt, saevos alias inferni tortoris mores feroxque ingenium in pictura nostra aliquatenus esse mitigata[370]).

Nimirum mulier, quam thyrsus satis aperte indicat Baccham esse, haud dubie spectat ad sacra bacchica, i. e. ad ea sacra, quibus perceptis meliorem vitae alterius conditionem protendi initiatis, antiquitas persuasum habebat[371]). Qua serena spe in animis hominum excitata, non potuit fieri, quin interitus corporis non solum minus videretur horrendus lugendusque, verum etiam pro eo haberetur, qui animae, a perturbationibus huius vitae liberatae, veluti transitum ad piorum sedes aeternamque beatitudinem recluderet. Itaque quum in altera vasis parte is compareat, qui mortem affert, in altera autem Bacchae imagino mysteria aint indicata, quibus animae piao vita aeterna atque beata protenditur: vix dubitaverim, quin pictor duas illas figuras eum potissimum ad finem in uno eodemque monumento copulaverit, ut, unius imagine spe melioria vitao excitata, acerbitatem alterius mitigatam monstraret. Cuiusmodi interpretatio si admittatur, apparet, imagine Charontis significari animae decessum, figura Bacchae beatam eius vitam; atque elucet, ut opinor, quam ob causam pictor Charontem tam singulari amictu vestitum voluerit.

Nam, etsi serta infulasque nostrarum figurarum ad bacchica spectare sacra primo adspectu haud ita audacter affirmaverim, quum, consideratis illis ramulorum oleaginorum ornamentis atque funereo totius vasis habitu, facilius ad ritus funebres referri videan-

368) Talia monilia interdum etiam in ceteris monumentorum Etruscorum generibus comparent; et proxime quidem ad nostrum accedit monile figurae virilis repositae in operculo urnae Clusinae. Mus. Clus. tab. XXVI. Crepundia autem esse eiusmodi ornamenta monilibus affixa, declarare videntur etiam monilia, quae in speculo haud spernendi laboris tres mulieres in collo gerunt. Ibid. tab. CVIII, et Inghir. ad l.l. p. 98, sq.

369) Cf. supra p. 6, annot. 41. Calceatum vero esse daemonem neque simplicibus indutum soleis (Gerhard. l.l. p. 49), ipsam ostendit monumentum. Ceterum autem observo, calceum pedis dextri ab antiquo pictore paulo aliter effictum esse quam alterum.

370) Ita iudicavit etiam Raoul-Rochett. Annal. I. A. tom. VI, p. 276, annot. 3; et nuperrime Gerhard. l. l. p. 48: Alle diese Einzelnheiten scheinen darauf berechnet zu sein, den finstern Todesdaemon in einer etwas besänftigten Gestalt darzustellen.

371) Gerhard. l. l. p. 49, de hac figura haec dicit: Ihre Beziehung auf bacchische Einweihung ist einleuchtend durch den mit Bändern umwundenen Thyrsus, den ihre linke (leg. rechte) Hand trägt; ebenfalls auf religiöse Gebräuche bezüglich ist das grosse mit drei Vorsprüngen, wie Bullen und Amulette, geschmückte Halsband, welches sie in der gesenkten Rechten (leg. Linken) hält.

tur[372]), tamen non possum quin vestem Charontis mere bacchicam existimem, id quod vel inde colligi queat, quod amictus daemonis tunicae Bacchae prorsus est similis. Accedit autem, quod simile vestimenti genus, quo quidem amiciri inter Romanos aetate Ciceronis viris turpe habebatur[373]), Dionyso solemnis erat amictus. Eo indutus conspicuus erat deus in arca Cypseli[374]); atque Pentheus Euripideus, ut sacris Baccharum impune sese immisceat, tunica muliebri usque ad pedes defluente velatur[375]). Haec autem vestis bacchica, plerumque luteo colore, tum variis colorum florumque pictorum ornamentis erat variegata, tum interdum oris extremis auro purpuraque intertextis splendebat[376]). Cui vestimenti generi quum tunica talaris daemonis nostri sane persimilis sit, nihil videtur obstare, quominus eum veste bacchica amictum credamus[377]).

372) Notum enim est, praeter fascias, vittas, flores, alias eiusmodi res, etiam corollas oleaginas defunctis fuisse consecratas. Artemid. IV, 49: τοῖς ἀποθανοῦσιν ἐλαίας συνεκφέρουσι. Praeterea vid. Kirchm. de fun. Rom. p. 93, sq.

373) Cic. Verr. II, 5, 13. Quintil. XI, 3, med.

374) Paus. V, 19, 1: Διόνυσος δὲ ἐν ἄντρῳ κατακείμενος γένεια ἔχων καὶ ἔκπωμα χρυσοῦν, ἐνδεδυκώς ἐστι ποδήρη χιτῶνα.

375) Eurip. Bacch. 826:
τίνα στολήν; ἦ θῆλυν; ἀλλ' αἰδώς μ' ἔχει.
ibid. 830:
τὸ δεύτερον δὲ σχῆμα τοῦ κόσμου τί μοι;
πέπλοι ποδήρεις· ἐπὶ κάρᾳ δ' ἔσται μίτρα.

376) Vid. omnino Welcker. ad Theogn. p. 89. O. Muell. Archaeol. §. 383, p. 510. Voss. epistt. mytholog. tom. V, p. 40, sq.

377) Refragabantur fortasse sententiae nostrae, qui post sublata a populo Romano Bacchanalia, i. e. inde ab a. U. 566, pictores Italos aut omnino non amplius aut perraro Bacchica attigisse argumenta censent. Vid. omnino Lanz. Ling. Etr. II, p. 161. Gerhard. Ephem. I. A. a. 1829, p. 173. Annal. tom. III, p. 101. O. Muell. Ephem. Hall. a. 1835, n. 105, p. 213.

At istiusmodi religiones ita funditus tunc temporis fuisse deletos, ut pictores ne caerimonias quidem ac mythos, qui ad Dionysum eiusque sacra spectarent, amplius adumbrare sint ausi, id vereor etiam hodie, sicuti ante annos quinque, ne certis quibusdam rationibus probari nequeat. Quid enim? Sane multo ante, quam nefanda illa nocturna Bacchi sacra per Italiam spargerentur, religio Graeca Cereris, Liberi Liberaeque per Siciliam magnamque Italiae inferioris partem accepta florebat. Hinc etiam populus Romanus eorundem numinum cultum sub a. U. 260 publice recepit (Dionys. Antiquitt. Rom. VI, 17; 94), iisque, ni prius, certe ab initiis secundi belli Punici festa publica Graeco celebrabat more (Fest. v. Graeca sacra. Cf. Voss. Epistt. mytholog. tom. V, p. 197). Itaque sub tempus introductorum Bacchanaliorum Dionysi sive Liberi, ut multi cultores, ita multae arae atque signa vetusta non poterant non esse per Italiam, nec ea populus Romanus amoveri iussit, quum datum est consulibus negotium, ut omnia Bacchanalia Romae primum, deinde per totam Italiam diruerent (Liv. XXXIX, 18). Elucet igitur primum, sublatis Bacchanalibus haudquaquam etiam sacra illa vetusta esse sublata, quae ad perantiquam Cereris, Liberi Liberaeque religionem pertinerent.

Deinde autem ne eius quidem dei cultum, cui Bacchanalia nocturna celebrabantur, senatus Romanus funditus abolendum censuit. Nam in senatus consulto (l. l.) aperte cautum est: — „si quis tale „sacrum sollemne et necessarium duceret, nec sine „religione et piaculo se id omittere posse, apud „praetorem urbanum profiteretur, praetor senatum „consuleret. Si ei permissum esset, quum in senatu „centum non minus essent, ita id sacrum faceret, „dum ne plus quinque sacrificio interessent, neu „qua pecunia communis, neu quis magister sacro„rum, aut sacerdos esset.“

Apparet igitur, sub certis quibusdam conditionibus etiam Bacchi cultoribus datam esse potestatem sua faciendi sacra, neque populum Romanum tollendis Bacchanalibus omnino vetustum plurimisque acceptum Dionysi cultum exstirpasse. Cf. omnino Voss. l. l. tom. V, p. 119; 122; 125; 196; 198. Hartung. Relig. Rom. tom. II, p. 135, sq.

Quod quum ita se habeat, difficile est ad credendum, argumenta Bacchica post a. U. 566 a pictoribus Italis ita prorsus esse declinata, ut ob hanc causam universa vasorum pingendorum ars paulo post

Quod si admiserimus, non poterimus, quin serta quoque infulasque ad insignia bacchica referamus, praesertim quum, excepto monili, quod Baccha manu gerit, corona infulaeque huius figurae sane proxime ad Charontis accedant. Neque mirandum est, quod corollas infulasque sacrorum bacchicorum funebribus immixtas symbolis invenimus, quum profecto dubitari nequeat, quin symbola earum religionum, quae omnium maxime ad vitam alteram pertinerent, etiam ad funera et sepulcra exornanda sint adhibita[378].

Quod quum ita se habeat, haud scio an pictor daemoni, alias immiti atque terribili, ob hanc potissimum rationem vestitum bacchicum tribuerit, ut vim atque acerbitatem mortis corporalis, anima auxilio sacrorum bacchicorum in meliorem sortem reservata, mitigari et placari significaret. Et hanc quidem Charontis pingendi rationem dubito an artifex de mimicis desumpserit pompis funebribus, in quibus fortasse, ubi defuncti mysteriis essent initiati, daemones inferni velamine bacchico induti incedebant, non amplius illi quidem minitabundi terribilesque, sed, sicuti Cerberus, Furiae, cetera Orci terricula, animis piis, quae sacris lustralibus purgatae ad regna profunda descensurae essent, indulgentes atque obnoxii[379].

Proinde, si quid veri nostrae insit interpretationi, Charon, qualis in nostra comparet pictura, letifer quidem est daemon, sed eius effector mortis, quae, defuncto sacris bacchicis imbuto, tam mortuo quam relictis eius cognatis minus sit acerba minusque lugenda.

DE TABULA SECUNDA ET TERTIA.

Prorsus alia natura moresque illi videntur inesse Charonti, qui conspicuus est in altero vase[380], cuius picturas tabulae sequentes exhibent. Esse enim Charontem primam trium figurarum, e quibus argumentum tabulae secundae consistit, facillime cognoscitur quum e nota ferocis capitis forma, tum e malleo, quem daemon ambabus manibus sublatum

evenuerit. Certe nulla obstabat ratio, quominus artifices argumenta, quae ad religiones sive publice receptas sive hominibus privatis a senatu Romano permissas pertinerent, tractanda sibi sumerent, dummodo res nimis obscoenas moribusque periculosas vitarent. Quodsi quis sacra Bacchi subtiliter a cultu Liberi patris distinguere velit, tamen dicendum est, intercessisse similitudinem haud levem inter illa et publica Liberi festa (cf. Hartung l. l. p. 139), id quod ne Vossius quidem negat (l. l. p. 198), licet Liberalia a Bacchanalibus prorsus esse discernenda iudicet. Unde elucet, vel illis artificibus, qui nihil aliud quam argumenta Bacchica tractare vellent, etiam post sublata Bacchanalia satis amplam fuisse pingendi opportunitatem.

378) Huc fortasse referre licet elegantem vasis Graeci picturam ap. Inghir. Pictur. Vas. fictil. tom. I. tab. XXVIII, cuius argumentum est mulier bacchica, coronam hederaceam in capite gerens et thyrsum sinistra manu tenens, quae, ante columnam, ut opinor, sepulcralem, in sella sedens, dextra, tanquam libatura, rhyton tollit, dum satyrus, et ipse hederacea ornatus corona, in eo est, ut amphora versa vinum infundat crateri ad imam columnam collocato. Aliter tamen sentit Inghir. l. l. p. 52.

Praeterea est observandum, arculas illas, quae tam crebro in sacrificiis funebribus locum habent, sane etiam in argumentis mere bacchicis comparere. Inghir. l. l. tom. I, tab. LVI; tom. II, tab. CLXV. Cf. infra annot. 398.

379) Vid. supra annot. 136.

380) Vasis altitudo digitorum est $10\frac{1}{2}$; diametros 10. Formam eius exhibet tabula secunda. Cf. Gerhard. l. l. p. 45.

sustinet. Praeterea accedit ad haec singularis ille gestus, iam supra in urna Volaterrana observatus[381]), quo daemon, iracundi instar, capite retro verso torvoque vultu figuram equestrem, quae sequitur, respicit. Responderet igitur noster Charon, quod ad formam habitumque saevi oris corporisque attinet, illis imaginibus, quae in sarcophagis comparent, nisi vestimenti genere mirum in modum ab iis deflecteret[382]).

Indutus enim est, ut iam supra diximus, amiculo quodam breviori, quod in pectore alvoque nonnullis globulis fibulatum est. Ceterum, sicuti daemon, quem tabula antecedens exhibet, calceatus incedit.

Quemadmodum autem in anaglyphis urnarum, ita in pictura nostra Charontem vir equester sequitur. At vero eques nostrae picturae, sive solum per se sive coniunctum cum tertia figura contemplaris, multis modis ab illis equestribus sarcophagorum figuris recedit[383]). Calceatus enim est atque amictus tunica breviori cinctaque lato cingulo, super quam palliolum militare volitatur, cuius lacinia videtur superinducta esse apici illi galerove, quem in capite gerit. Et opertum quidem hoc modo vel caput vel occipitium in monumentis argumenti similis plus semel observavimus[384]); at prorsus nova res est illa galeri species, nisi forte Ditis esse galeam suspicaris[385]). Neque magis obvium est instrumentum illud, quod eques noster sublata dextra gestat, dum laeva equi lorum tenet, qui in pictura nostra non modico gressu incedit, ut in anaglyphis assolet, sed citato cursu avolat.

Iam illud quidem instrumentum quid aut quale sit, equidem decernere non ausim; tubam non esse, quam quidem Gerhardus noster agnoscit[386]), vel inde mihi videtur satis perspicue apparere, quod forma manus dextrae digitorumque non est tuba canentis, sed potius eius, qui in eo est, ut aliquid iaculi simile contorqueat. Namque si pictor equitem tuba canere voluisset, certe non pollicem cum quattuor digitis, sed superiorem manus partem cerneremus; neque est credibile, vel rudem artificem in re tali peccasse. Praeterea ne forma quidem instrumenti satis bene tubae convenit, ut quae ubique ostio largiori et magis sinuato compareat[387]). Quod quum ita sit, res obscura videtur in medio relinquenda, donec alia monumenta aliquid lucis afferant.

Hic igitur eques respicit in figuram muliebrem, cuius similes in sacrificiis funebribus, quae in vasis Apulis et Lucanis sunt conspicua, haud raro inveniuntur[388]). Induta est tunica talari amiculoque breviori, in humeris fibulato cinctoque, cui simplici vestimento simplices conveniunt soleae. Atque haec mulier, dextra manu caudae avolantis equi imposita, sublata sinistra infulas et arculam gestat, quam pictor ultra vasis

381) Vid. supra p. 10, annot. 81.

382) Vid. pupra p. 6, annot. 37.

383) Vid. supra p. 10, sq.

384) Vid. supra annot. 78.

385) Vid. supra p. 13, annot. 105, fin.

386) Gerhard. l. l. p. 46.

387) Atqne id quidem etiam magis in eas valet tubas, quibus siticines in funeribus efferendis utebantur. Nam hae ceteris tubarum generibus et longiores erant et latiores. Cf. Kirchm. de fun. Rom. p. 147. Tubarum formam exhibet Bartol. in Admir. Rom. antiq. tabb. X; XVII.

388) De hac figura Gerhardus l. l. p. 47, ita iudicat: Die dritte Figur, welche sich ihm anschliesst, und von seinem zurückgewandten Blicke getroffen wird, findet im Kreise der Reliefbilder ungleich weniger Analogieen; sie gehört der vermuthlich ziemlich spät eingetretenen Berührung grossgriechischer

manicum, i. e. in averso supellectilis latere, haud dubie propterea iteravit, quia spatium deerat, ubi extremas infularum partes collocaret. Quae quidem quum, si solas, non adiecta arcula, in averso vasis latere adumbrasset, sane neutri argumento satis bene congruerent, arculam iteravit, qua adiecta foret manifestum, infulas in aversa vasis parte pictas non ad argumentum eiusdem lateris, sed ad mulierem alterius argumenti referendas esse. Qua picturae perspecta dispositione, elucet, argumentum aversi lateris nihil aliud complecti quam senem illum barbatum, qui in vehiculo iunctis mulabus vecto iacens conspicitur.

Velatus hic est et a capite usque ad calces, ampla involutus toga, eademque occipitium etiam opertum est, id quod tam in equestribus illis imaginibus [389]) quam in figuris, quae plerumque urnarum operculis sunt impositae, nonnunquam observatur [390]). Vehiculum formam rudis et modicae birotae prae se fert, quae in Romanis quoque lapidibus iisque sepulcralibus interdum est conspicua [391]), neque prorsus discrepat ab illo vehiculi genere, quo hodie in quibusdam Italiae regionibus agricolae ad evehendas fruges doliolaque vinaria utuntur. Quo plostello cum sene excepto, nihil, ut opinor, picturae nostrae inest, quod iure ad argumentum referatur. Nam maculas illas rudes atque informes, quas in utraque vasis parte, tanquam in aere pendentes, cernuntur, equidem neque picturae neque pictori tribuendas, sed in vase coquendo, dilapso atramento, fortuito exstitisse crediderim [392]). Certe ad utensilia referri nequeunt, quum artifices in hoc monumentorum genere auxilio utensilium suspensorum indicare soleant, actionis locum non esse sub divo, sed intus in aedificio quodam, id quod picturis nostris, quarum altera equitem citato equo avolantem, altera curriculum iunctis mulabus avehendum continet, sane haud bene congruit.

Iam quod ad quaestionem principalem attinet, num unum ambas vasis picturas complectatur argumentum an secus, equidem eas non tam dispositione artificiali quam interna quadam argumentorum similitudine coniunctas esse existimaverim. Etenim non singula unius eiusdemque pompae momenta nostris inesse picturis, id vel inde videtur probari, quod, si tibi singulas picturas, tanquam duas eiusdem argumenti partes, copulatas ante oculos proposueris, utriusque picturae figurae aut discedent aut adversis concurrent frontibus, cuiusmodi dispositio, si quidem artifex picturas unius argumenti partes esse voluisset, profecto male quadraret. Quod quum ita se habeat, haud alienum a re videtur, antequam de utriusque argumenti vinculo statuamus, primum investigare, quid singularum picturarum argumenta sibi velint.

Anaglyphis sarcophagorum, quae supra examinavimus, in auxilium vocatia, vix dubitari potest, quin anima equestris a Charonte ad inferos deducta summa sit primi

Mysterien mit den Ideen und Gebräuchen Etruscischer Sitte an. Cf. praeterea infra annot. 393.

389) Vid. supra p. 10. annot. 78.

390) Dempst. Etr. reg. tabb. XXXVI; LXXXII, n. 2. Maff. Mus. Veron. tabb. III, n. 2; 7. VII, n. 2. Mical. Mon. tab. CIV, n. 4.

391) Prorsus ad nostrum plostellum accedit curriculum in lapide Romano ap. Maff. Mus. Veron. tab. CXLI, n. 10.

392) Aliter sentit Gerhard. l. l. p. 46: Andere im oberen Raume angedeutete Geräthe, etwa Schilde und Beinschienen, haben sich vielleicht auf die Bewaffnung des Verstorbenen als eines kriegsfähigen Mannes zu beziehen.

argumenti. Charon, sicuti in urna Volaterrana[393]), equitem respicit, tanquam minitabundus atque prohibiturus, ne sua se praeda subducat. Eques autem, quem in anaglyphis domo profecturum suisque valedicentem vidimus[394]), in hac quoque pictura mulierem respicit, quae, salutantis instar, manum porrectam caudae imponit equi, quo gestu, ut Gerhardus innuit, etiam hodie mulieres Italae discedentes maritos cognatosve nonnunquam solent prosequi. Quod si probabile est, figuras muliebres in talibus anaglyphis cum equite sive discedente sive adventante vinculo quodam amoris et cognationis esse coniunctas, sane suspicari licet, etiam in pictura nostra similem quandam societatem inter utramque intercedere figuram, neque eam, ut opinor, artifex non satis significatam reliquit. Etenim iam observavimus, simillimam figuram muliebrem, cum eadem arcula iisdemque infulis in picturis vasorum Apulorum et Lucanorum crebro comparere. Ibi autem plerumque est consociata aliis figuris et iis quidem tam muliebribus quam virilibus, quae omnes utensilibus ad inferias faciendas necessariis, i. e. canistris, arculis, alabastris, vittis infulisque, floribus, corollis, pateris, aliis, instructae sunt[395]). Neque crediderim, tales figuras aliud aliquid agere quam sacra funebria, quum plerumque circa ipsa sepulcra cipposque sepulcrales congregatae cernantur[396]).

Proinde, quum nostra figura videatur in eo esse, ut defuncto cuidam cognato inferias latura ad sepulcrum tumulumve tendat, equidem nullam invenio rationem, cur eam ad mystica potius sacra quam ad dona funebria referendam esse censeam.

His singularum figurarum naturis officiisque consideratis, non dubium restat, ut opinor, quid universum sibi velit argumentum. Est enim anima defuncti sub solita viri equestris imagine figurata, quam Charon progrediens ad inferna deducit domicilia, dum uxor sive cognata, gestu salutantis atque arca infulisque instructa, prosequitur, ut tumulo solemnia inferat dona, quae quidem, quod nemo ignorat, non solum meris libationibus, verum etiam dapibus, thuribus, vestibus, varia supellectile, consistebant. Quapropter in arcula, quam gestat mulier, talia inesse dona credantur, neque vero utensilia quae ad bacchica duntaxat pertineant mysteria[397]). Haec enim si re vera pictor voluisset indicata, profecto nostro argumento certiora sacrorum bacchicorum symbola non magis deessent quam picturis vasis alterius, ubi Baccha ipsa per se ad mystica Dionysi sacra subintelligenda invitat.

393) Inghir. Mon. Etr. Ser. I, tab. VII. (O. Muell. et Oesterl. Mon. artt. antiq. fasc. V, tab. LXIII. n. 347).

394) Vid. supra p. 15, annott. 111—114.

395) Vid. omnino O. Muell. Archaeol. §. 422, n. 4. Plurima eius generis argumenta undique collecta dedit Inghir. Pictur. Vas. fictil., ubi vid. tom. I, tabb. XII; XXI; XXII; XXXII. tom. II, tabb. CXXXVII; CXLII; CLVII. Cf. Raoul-Rochett. Mon. ined. tabb. XXX.

396) Adde monumentis in annat. praecedente laudatis Inghir. l. l. tom. I, tabb. XX; XLII; LIII. tom. II, tabb. CXXXIX; CXL; CXLI; CLI; CLIII—CLVI. Raoul-Rochett. l. l. tab. XXXIV. Cf. O. Muell. l. l.

397) Ita in pictura singulari apud Milling. Pictur. Vas. Graec. tab. LVIII, quam istiusmodi argumentis iam O. Mueller. l. l. merito accensuit, comparet mulier cum arcula aperta, in qua quattuor alabastri conspiciuntur. Ceterum quod ad adolescentem attinet, qui ibidem in eo est, ut porcam iam mactatam arae imponat, vix dubitaverim, quin, porca praecidanea Telluri et Cereri rite succisa, feriis denicalibus et se et familiam purget. Vid. Fest. v. praecidanea agna. Cf. omnino Kirchm. de fun. Rom. p. 561, sq. Hartung. Relig. Rom. tom. II, p. 137.

Qua prioris tabulae admissa explicatione, iam apparet, opinor, picturam suis partibus cohaerere, neque, quantum ad dispositionem artificialem, cum argumento aversi lateris coniungi debere. Id autem haud scio an etiam magis inde colligi possit, quod argumentum, quod hactenus sumus contemplati, naturam prae se fert symbolicam, contra alterum, praeterquam quod defunctus sub imagine vivi hominis est pictus, effigiem rei naturalis videtur exprimere.

Nam huius picturae argumentum non satis recte, opinor, iis conferri possit anaglyphis, in quibus aut figuras singulas aut dominum cum servo aut maritum cum uxore carpento rhedave vectos non ita raro conspicimus[398]), quum etiam talia anaglyphorum argumenta, momento itineris vel incundi vel faciendi indicato, operte decessum submoneant, iisque sint iure accensenda monumentis, in quibus mors latenter significetur[399]). At eiusmodi vecturae multum videntur a nostro differre plostello. Etenim illa vehicula ipsa non rudis curriculi formam prae se ferunt, sed studio quodam sunt exornata neque raro tecta[400]), ita ut commodum itineri faciendo carpentum rhedamve facile agnoscas. Praeterea homines, qui talibus vehiculis insident, non induti sunt vestimentis funebribus, sed proficiscentium instar et figurati et amicti. Neque mulae, quibus illa quoque carpenta interdum vehuntur, ad sola sunt funera referenda[401]), quandoquidem id genus iumentorum ad sexcentos vitae usus ab Italis antiquis adhibebatur[402]).

Sed quod ad nostram attinet picturam, involuti senis et velamina et habitus universus satis superque ostendunt, defunctum esse. Nemo enim ignorat, togam solemnem fuisse vestem, qua non solum Romae, verum etiam per Italiam cadavera involverentur[403]). Neque dubium est, quin opertum senis occipitium et ipsum ad instans funus spectet, quum eandem velandi rationem et in illis figuris equestribus et interdum in statuis observemus, quae operculis urnarum impositae sunt. His denique operculorum figuris etiam habitus senis pene ad amussim respondet, ut qui, membris paulo contractis, laevoque brachio innixus pulvinari, rigido prospiciat vultu.

Sane igitur licet cum Gerhardo iudicare[404]), eam senis posituram eumque habi-

398) Maff. Mus. Veron. tab. CVLI, n. 6. Oliver. Marm. Pisaur. p. 155. Gor. Mus. Etr. tom. II, tab. CLXIX. Praeterea huc pertinent monumenta duo Vaticana, de quibus cf. Gerhard. in Descript. Urb. Rom. tom. II, p. 65, n. 406; p. 107, n. 11.

399) Cf. supra p. 11, sq.

400) Huc pertinet inter monumenta paullo ante laudata imprimis tabula Goriana. Praeterea cf. Scheffer. de re vehicul. lib. II, c. 17, p. 214, sq.

401) Imo ex iure pontificio Romano ne licebat quidem feriis denicalibus mulos iungere, etsi iam aetate M. P. Catonis alii aliter de ea re iudicabant. Hic enim mulis, equis, asinis, nullas esse ferias dixit, atque adeo boves lignorum et frumentorum advehendorum causa coniungere permisit. Colum. R. R. II, 22. Cf. Hartung. l. l. II, p. 87.

402) Adeas omnino Scheffer. l. l. I, c. 8, p. 90, sq. II, c. 17, p. 219.

403) Vid. Kirchm. de fun. Rom. I, c. 10, p. 79, sq. Viscont. Mus. P. Clem. tom. IV, p. 201.

404) Gerhard. l. l. p. 45: Kein Attribut deutet ihn als Todten an —; dem etruskischen Beschauer aber mochten, ausser der Bedeutung jener Figuren, die rohe Form des langen(?) Wagens, die vorgespannten Maulthiere, vielleicht auch (wie auf den Deckeln der Todtenkisten) die etwas kurze und verschrumpfte Figur des liegenden Mannes zur Andeutung einer Person gereichen, welche den Mächten der Unterwelt bereits anheim gefallen ist.

tum vehiculique genus satis fuisse, unde spectator Etruscus defunctum repraesentari statim colligeret, etiamsi argumentum aversae picturae eum non edocuisset, haec omnia ad decessum funerque spectare.

Quod si altera pictura nihil aliud quam currum funebrem cum defuncto complectitur, altera autem, decessu animae operte indicato, non actionis naturalis effigiem exhibet, sed repetenda est ex symbolica quadam animae decedentis imagine: intelligere mihi videor, quo vinculo argumenta utriusque picturae, quamvis nulla figurarum dispositione sint copulata, tamen inter se arctissime cohaereant. Alterum enim, in quo, letifero daemone praegrediente, anima sub imagine equitis ad inferos deducitur, haud dubie spectat ad futura domicilia sortemque animae, cui ut suus fiat honos atque requies, relicta coniux sive cognata solemnia dona est tumulo illatura. Alterum autem, ubi, nullo futurae conditionis signo apposito, defunctus in curru funebri, tanquam sepeliendus, vehitur, sortem corporis videtur indicare, quod, quemadmodum anima ad regna inferna, ita ad sepulcrum transportatur. Itaque, licet in utroque argumento nihil aliud quam extrema sortis humanae momenta significata sunt, tamen alterum ad decessum animae, alterum ad corporis interitum videtur esse referendum; atque apparet, artificem id hoc modo perfecisse, ut animae conditionem argumento symbolico, corporis naturali exprimeret.

VRATISLAVIAE.

APUD G. P. ADERHOLZ.

MDCCCXXXVII.